

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
11 Nov., 1890.

[redacted]

DE
RECENSENDIS CATULLI CARMINIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVIII M. MAII A. MDCCCLXXXI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR Albert Theodor

RUDOLFUS SYDOW

SEDINENSIS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR

MAXIMILIANUS WALLIES, DR. PHIL.
FRIDERICUS SCHLEE, DR. PHIL.
MAXIMILIANUS ROTHSTEIN, DR. PHIL.

BEROLINI,

APUD MAYERUM ET MUELLERUM

MDCCCLXXXI.

IOANNI VAHLENO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Carolus Lachmannus in recensione carminum Catullianorum, quae anno 1829 primum in publicum prodiit, duobus codicibus usus est, libris Caroli Dati (D) et Laurentii Santenii (L); inter quos D, nisi aperte falsa et ficta praebebat, multo maiorem quam L fidem habebat. Atque hac editione eum cum in recensendis poetae carminibus firmum struxisse fundamentum tum in emendando textu multos locos egregie restituisse inde ab eius aetate usque ad nostram summus inter viros doctos consensus erat. Novissime autem extiterunt, qui, quamvis magna eius de emendando Catullo merita agnoscerent, tamen prorsus falsum et incertum eum editioni suae fundamentum supposuisse arbitrarentur. Nam post Lachmanni illam operam protracti sunt in lucem duo codices Sangermanensis (G), de quo primus Silligius in Iahnii annalium philol. XIII (1830) rettulit, et Oxoniensis (O) cuius notitia Ellisio debetur (ed. anni 1867), atque hos duos solos testes sinceros esse illi putant, solos enim ex ipso archetypo Veronensi (V), ex quo omnes libros nostros fluxisse constat, originem duxisse; reliquos non exceptis Lachmanni libris ex G derivatos esse; D autem, quem ille ducem locis omnibus dubitationi obnoxiis elegerat, pessimum esse omnium codicum interpolatorum, cui nulla prorsus fides habenda sit. Quare non inutile videtur quaestionem instituere, in qua disquiramus, qua parte fundamenta a Lachmanno iacta deserenda videantur.

Atque prima commentationis nostrae particula agemus de codice G, quem et vetustiorem Lachmanni libris et ipsius codicis V apographon esse omnes consentiunt. Qua in

parte ante omnia ei componendi sunt loci, quibus G aut meliorem aut peiorem quam Lachmanni libri scripturam exhibet. Praeterea cum libro G multae correctiones radendo vel expungendo factae multaeque scripturae duplices propriae sint, nostrum erit quaerere de his quid iudicandum sit. Simul autem id agendum est, ut appareat, num recte Baehrensius (p. XIX sqq.) et qui ei astipulati sunt librum G archetypon ceterorum librorum praeter O omnium esse iudicaverint.

Iam ad enumerandos eos locos nos convertimus, quibus, cum Lachmanni codices corruptam scripturam praebeant, G aut verum servavit aut certe propius quam illi ab eo abest. Inter quos primo loco eos ponam, quibus verum iam ab Italis inventum et a Lachmanno probatum erat. Ubique autem adscribam scripturam codicis O, quo commoditati et legentium et ut infra apparebit nostrae consulatur.

9,8

Ut mos est tuus, applicansque collum

tuum D *tuis* L *tuus* GO

11,10

Caesaris visens monimenta magni

videns DL *visens* GO

22,4

Puto esse ego illi milia aut decem aut plura

ego esse DL *esse ego* GO

37,9

Atqui putate: namque totius vobis

atque DL *atqui* GO

61,166 (159)

Transfer omine cum bono

onnine D *omne* L *omine* GO

63,76

Ibi iuncta iuga resolvens Cybele leonibus

vincta DL *iuncta* GO

Praeterea hic memorandum est nomen *Attis,* quod in c. 63 sexies occurrit. Nam in D et L ubique *athis* et *athin*

vel *athim* scribitur; in G autem tribus locis (v. 1. 32. 27) *actis* vel *atris,* tribus (v. 45. 42. 88) *attis* et *attin* exaratum est; in O quater (v. 1. 27. 32. 45) *actis* vel *atris,* bis (v. 42. 88) *attin.*

Similis est ratio nominis *Acmes* in c. 45. Nam cum quinquies hoc nomen obvium fiat in hoc carmine, unus locus (v. 10) infra, ubi de correctionibus libri G agetur, respiciendus est, ceteris quattuor locis in D et L *agme* vel *agmen* extat, G et O ter saltem (v. 1. 2. 23) veram nominis formam etsi litteris male distinctis exhibent *ac me* vel *ac men,* semel tantum (v. 21) ut illi *agmen.*

Aliquoties Lachmanno bona scriptura, quae postea in G inventa est, ex codice Laurentiano (La^2 apud Ellisium) vel ex Parisino (7989) nota erat:

25,7
Sudariumque Saetabum catagraphosque Thynos
sathabum DLO *sethabum* La^2 *saethabum* G

39,12
Aut Lanuvinus ater atque dentatus
lanuinus DL *lamivinus* La^{2}GO

52,2
Sella in curuli struma Nonius sedet
nevius D *novus* L *novius* La^{2}GO

61,104 (100)
A tuis teneris volet
nolet D *nollet* L *volet* La^{2}Par GO

63,33
Veluti iuvenca vitans onus indomita iugi
iuventa DL *iuvenca* La^{2}GO

63,73
Iam iam dolet quod egi, iam iamque paenitet
iam D *iam quod* L *iamque* La^{2}GO

11,3
Litus ut longe resonante Eoa
ubi DL *ut* Par GO

Apparet hunc unum locum multo esse graviorem quam

omnes quos adhuc perlustravimus coniunctos: hoc enim in D et L manifestam interpolationem habemus, qua G caret, illis de meris scribendi erroribus agebatur.

Duobus locis vera scriptura in codice L ab altera manu (L²) inter versus vel in margine adscripta est atque inde iam, antequam codex G collatus est, nota et a Lachmanno in textum recepta erat:

91,3

Quod te cognossem bene constantemve putarem

constanterque D *constanterve* L *constantemve* L²GO

106,1

Cum puero bello praeconem qui videt esse

ipse DL *esse* L²GO

Ipse, quod in D et a prima manu in L extat, a Lachmanno spretum Ellisius in textu posuit et *suis oculis* interpretatus est. Sed sive hac sive alia nescio qua ratione interpretaris, alienum id est a sententia. Requiritur autem infinitivus atque *ire,* quod Schwabius coniecit, concedendum quidem est a poeta potuisse poni, sed *esse*, quod in L²GO habetur, non minus bene dicitur neque est cur ab eo recedamus.

His locis, quibus vera scriptura iam in Lachmanni textu expressa est, duo accedunt, quibus ab illo recedendum videtur, quorum altero G cum O verum servavit, altero meliorem certe quam D et L et ceteri libri scripturam exhibet:

73,3. 4

Omnia sunt ingrata nihil fecisse benigne
Immo etiam taedet stetque magisque magis.

Haec Lachmanni codices in textu exhibent, margini codicis L *obestque* adscriptum est. Lachmannus ex *stetque* effecit *si fit* et deleto *magisque,* quod delendum esse primus Avantius perspexit, ut versum mancum expleret, illud *obestque* ex margine codicis L inseruit:

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne:
Immo etiam taedet, si fit, obestque magis.

Quod non probabiliter instituisse videtur: illud *si fit* enim neque ad sententiam multum valet et nimis longe abest ab illo *stetque.* Accedit quod G, quocum O facit, haec testatur:

Immo etiam taedet obestque magisque magis.

Itaque non pro illo *magisque* reponendum erat *obestque,* sed comparanda potius erant *stetque* et *obestque* et quaerendum, utrum verius esset, utrum ex altero ortum. Atque mero errore neque *obestque* ex *stetque* nec vero vice versa *stetque* ex *obestque* videtur natum esse. Scriptura *obestque* autem, quae intellegi potest, veritatis speciem prae se fert et, quamquam *obestque magisque magis* contra metrum pugnat; certe si deleveris illud *magisque,* quod delendum esse inter omnes constat, verba *obestque magis* apte versum pentametrum claudere possunt. Contra alterum illud *stetque* sensu cassum est, metro egregie convenit. Quare eo videmur deduci, ut *stetque* a librario metri sanandi causa pro *obestque* fictum esse censeamus. Et quamquam ponamus necesse est illum sententiam non curasse, tamen hoc ab ingenio humano non plane alienum videtur esse, cum aliae eiusdem generis interpolationes occurrant. Gravissimum exemplum praebet carminis quinti versus octavus, ubi corrector quidam ut versus staret suo Marte scribens:

Deinde mi altera da secunda centum

sententiam prorsus pessumdedit. Praeterea conferas 108,1, ubi in codice, quem Ellisius littera a significavit, *semper* eodem consilio eademque neglegentia scriptum est. Neque aliter explicari potest *monstrorum*, quod in margine codicis O ad 64,15 adscriptum est, de quo versu infra nobis agendum erit. Quodsi recte scripturam *obestque* praeferendam esse statuimus, cum versus:

Immo etiam taedet obestque magis

mancus sit, aliquid inserendum est. Et varia viri docti inseruere. Non pauci ad verba *nihil fecisse benigne* opus esse verbo finito rati scripserunt:

nihil fecisse benigne

Prodest, immo etiam taedet obestque magis

vel:

nihil fecisse benigne

Iuverit, immo etiam t. o. m.

Sed tale verbum finitum ex usu sermonis Latini non requiritur. Nam si verbum substantivum animo audiveris *nihil est fecisse benigne,* plenum enuntiatum evadet. De sensu autem, qui inest in hoc *nihil est,* apte contuleris Plauti versum, qui est in Capt. 344 (II 2,94):

At nihil est ignotum ad illum mittere: operam luseris,

cuius versus verba extrema illud *nihil est* perbene explicant. Itaque cum verbum illis addi necessarium non videatur cumque non sat probabiliter dici possit, quo errore aut *prodest* aut *iuverit* exciderit, missa faciemus haec conamina. Ceterarum autem emendationum e numero Avantii, qui verbum *taedet* bis posuit:

Immo etiam taedet, taedet obestque magis

duplici ratione probabilis est, quod origo illius defectus sic in propatulo est et *taedet* non sine sententiae emolumento bis ponitur.

76,11 haec Lachmannus edidit:

Quin tu animo affirmas itaque istinc teque reducis,

Et deis invitis desinis esse miser?

Duas prioris versus partes Lachmannus esse voluit duplici particula *que* coniunctas: *quin tu et animo ita affirmas et te istinc reducis?* Sed quamquam particulam *que* apud poetas saepe non primae enuntiati voculae adnecti notum est, tamen hoc loco postremae voci affixa dubito an ferri possit. Non dubitarem, si verbum *affirmas* postremum in enuntiato locum teneret eique particula *que* adnexa esset; in verbo enim totius enuntiati quasi vis continetur eique quocunque loco ponitur apte particula *que* affigi videtur, non ita voculae post verbum collocatae. Sed aliud quid inest in sententia, quo quis suo iure offendi possit. Quo enim respicere dicamus illud *ita*? Quid Catullus se hortatur

ut animo affirmet? Nihil est, quo Lachmannum putemus voluisse id referre praeter ea, quae in versu praecedente habentur: *quare iam te cur amplius excrucies,* haec fere ut evadat sententia: quin tu animo affirmas te amplius nolle te excruciare? Quam tamen interpretandi rationem fateor mihi admodum contortam videri adeo, ut Lachmanni scripturam veram esse mihi persuadere nequeam. Iam vero *itaque* omnino non habetur in libris, sed a Scaligero coniectum est; libri praeter D, in quo perverse *teque* scriptum est, ad unum omnes *atque* exhibent; pro *affirmas* autem, quod D et L cum ceterorum multitudine praebent, in G *offirmas* legitur cumque G consentit O. Teneamus *atque* et ex GO restituamus *offirmas*: remota sunt incommoda scripturae Lachmannianae et veram opinor poetae manum nacti sumus:

Quin tu animo offirmas atque istinc teque reducis
Et deis invitis desinis esse miser?

Deleto sic commate, quod Lachmannus post vocem *reducis* posuit, bipertitam habemus orationem, cuius altera pars inde a particula *atque* incipiens rursus duas partes per particulas *que* — *et* coniunctas continet. Atque eadem ratione Schwabius locum intellegere videtur, cum Silligii, qui eandem quam nos et ille scripturam tuetur, explicationem satis miram vituperat.

Quapropter de his versibus hoc loco disputavimus, ut codices G et O offirmandi verbum recte servasse demonstraremus, id ut viribus nostris licuit confectum est. Restant autem plura in hoc versu controversiae virorum doctorum obnoxia, quae, quamquam ad eam, quam nos agimus rem, non pertinent, non videntur silentio praetermittenda esse. Baehrensius *offirmas* quidem probavit, sed existimavit pro *animo* scribendum esse *animum.* Et ponitur sic verbum offirmandi vi transitiva: Ter. Haut. V 5,8:

Age quaeso, ne tam offirma te, Chremes.

et Plaut. Merc. I 1,81:

Ut animum offirmo meum.

Sed cum idem verbum etiam notione intransitiva usu veniat, Ter. Eun. II 1,11:

Censen posse me offirmare et
Perpeti, ne redeam interea?

non dubium videtur, quin recte dici possit *animo offirmare* h. e. *sich in seinem Gemüte verhärten.* Idem Baehrensius in initio versiculi prioris pro *quin* scripsit *quidni*, quod ex scriptura codicum eorum, quos ille solos in crisi factitanda respiciendos putat G et O — ei enim *qui tui* exhibent, D et L *qui tu* — cupidius elicuit. *Quidni* enim non ponitur nisi sequente modo coniunctivo et est ironice affirmantis; huic loco unice convenit *quin,* quo sequente aut indicativo aut imperativo hortantes et instigantes utuntur. Inde igitur, quod G et O *qui tui* exhibent, non videtur aliquid fructus capi posse neque ad constituendum textum poetae neque ad aestimandam codicum illorum auctoritatem. Denique monendum est verba *istinc teque* inventa esse Heinsii coniectura, sed de cuius veritate dubitari non debeat; libri codice G non excepto *instinctoque* vel adeo peiora praebent, sed O habet *instincteque,* quo Heinsii commentum firmatur.

Egimus adhuc de viginti tribus locis, quibus codicis G scriptura Lachmanni libris praestat. In his duo tantum extant, quos extremos tractavimus, quibus a Lachmanni textu recedendum videbatur. Atque his locis vera scriptura iam ante codicem G repertum ab aliis viris doctis coniectando restituta erat, ita ut Lachmannus, non quod codice G carebat, sed quod non satis caute de his locis iudicavit, a vero aberrasse putandus sit. Itaque codice G reperto id tantum in emendandis Catulli carminibus profecimus, ut his viginti tribus locis coniecturae virorum doctorum iam libri manuscripti testimonio firmentur.

Sed altera ex parte non desunt loci, quibus Lachmanni libri D et L codici G praestant:

42, 13

Non assis facis? o lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse.

Valde Catullus hoc genus dicendi adamavit, quo ut ita dicam gradum superlativum simul circumscribit et auget; cf.

22, 13

scurra

Aut siquid hac re tritius videbatur.

23,13

cornu

Aut siquid magis aridum est.

82,2

oculos . . .

Aut aliud siquid carius est oculis.

nec non 13,10 et 82,4. Eo autem de quo agitur loco libri G et O non *potest* sed *potes* praebent:

Aut si perditius potes quid esse

eamque scripturam Baehrensius mira iudicii perversitate probavit. Quid enim hoc est *lutum*, *lupanar, perditissimum quod esse potes*? Conviciis poeta Clodiam cumulat. Sed num hoc est convicium *perditissimum quod esse potes*? Certe dubitare licet. Num hoc omnino potest intellegi? Mihi vix videtur. Quam acerbe contra et Catulli ingenio convenienter illud dicitur *lutum, lupanar, aut si perditius potest quid esse,* i. e. *lutum, lupanar, perditissimum quod omnium rerum esse potest*?

66,83 in Lachmanni editione hic est:

Vester onyx, casto petitis quae iura cubili.

Pro *petitis,* quod D traditur, Baehrensius *colitis* ex G et O in textum recepit; *colitis* Lachmanno notum erat ex margine codicis L, cuius textus *quaeritis* praebet. *Iura colere* siquidem Latine dici potest, quod mihi non omni dubitatione videtur carere, certe ad consuetam exercitationem iuris coniugalis spectet necesse est; itaque *iura colere* apte dicuntur matronae tantum vel mulieres iam aliquod temporis spatium cum maritis coniunctae. Coma autem Berenices alloquitur virgines innuptas praeceptumque eis dat inde ab eo momento quo nubant observandum. Non poterat igitur poeta eas appellare *casto colitis quae iura cubili,* sed si colendi verbo

uti volebat, dicendum erat *quae iura casto cubili colere cupitis.* Id inest in scriptura libri D *casto petitis quae iura cubili,* quam veram esse puto. *Colitis* autem unde ortum est? Certe non simplici scribendi errore, sed a correctore profectum videtur. Et si causam quaerimus, qua ille eo adductus sit, ut coniectura hoc loco opus esse opinaretur, commode se illud nobis offert, quod libri nonnulli *quaeritis* exhibent. Hanc enim scripturam probabiliter ponimus interpolatorem illum in codice suo invenisse; quae cum numeris haud satis faceret, versum ille restituit sententiam non accuratius respiciens. Ipsum autem illud *quaeritis* exaratum est pro genuino *petitis* mera neglegentia, qua saepissime librarii synonyma confuderunt.

Ad hos duos locos, quibus codicis G scripturae vana sunt librariorum commenta, accedunt alii, quibus mero errore librarius falsa exaravit, vera scriptura cum in ceteris omnibus libris tum in D et L habetur: 64,134 *discendens* 66,24 *ut ibi* 66,32 *adesse* 66,74 *candita* 66,85 *inita* 67,35 *amat amore* 68,101 *tuum* 71,2 et 6 *podraga* 84,11 *esset* 87,1 *pone* 99,7 *ad* 114,3 *aura.* Non infringitur quidem hac re fides codicis G; quis enim bonus liber scribendi erroribus vacat? Sed tamen monemur, ne temere cum Baehrensio ceteros libros praeter O omnes ex G derivatos esse putemus. Quomodo enim factum est, ut horum vitiorum in illis nec vola nec vestigium sit?

Iam ad correctiones libri G nos vertere licet, de quarum origine viri docti non consentiunt. Baehrensio ab eadem manu, quae textum exaravit, factae videntur (p. XIV) neque ille dubitat, quin omnes unius eius qui G exaravit ingenio debeantur plerumque perverso (p. XVII). Contra Bonnetus (Revue critique 1877) correctiones non ab eadem manu quae textum scripsit profectas esse, sed aliam manum codicem G cum alio quodam codice contulisse et correctiones ex illo transcripsisse existimat. Apparet autem ex Baehrensii de correctionibus libri G iudicio, cur ille ceteros libros omnes ex G derivatos esse arbitretur. Nam si verum est correctiones

libri G falsas coniecturas esse eius qui codicem exaravit, fieri non potest, quin ceteri, cum fere ubique cum correctore libri G consentiant, ex hoc libro fluxerint. Sed qui correctiones libri G accurate perlustrabit, ei mirum videbitur, quod Baehrensius de perverso correctoris iudicio dicit; nam si eas, quae ad orthographiam pertinent, numero paullo plus sexaginta omittimus, restant fere centum sexaginta, quarum longe plurimae centum et quinque procul dubio verae sunt et quas ne ipse quidem Baehrensius potuerit non in textu ponere. Quarum e numero sexaginta locis vitia corriguntur, quae scriba codicis G in describendo textu commisisse videtur, cum O veram scripturam praebeat. Inde igitur, quod ceteri libri cum G² et O consentiunt, non sequitur eos ex G, non V fluxisse. Ceteris locis quadraginta quinque fieri potest, ut vitia, quae in G a correctore emendantur, iam in V fuerint, cum in O eadem corruptela atque a prima manu in G extet. Et his quidem ex locis colligi potest ceteros libros ex G descriptos esse, siquidem constat correctorem libri G ex suo ingenio correxisse. Restant iam quinquaginta quinque loci, quibus id quod corrector effecit verum non est. Et sunt etiam inter hos, ex quibus idem illud colligi potest, ii scilicet, quibus G² et ceteri praeter O perversas coniecturas praebent, G¹ et O aut verum aut scripturam corruptam quidem sed propius ad verum accedentem. Sed tamen est aliquid, quod monet, ne temere Baehrensium ita colligentem sequamur. Qui apparatum criticum Ellisianum perlustraverit, sciet non raro codices praeter G et O in diversas partes discedere, partem cum G², partem cum G¹ et O facere. Unde tandem in hos libros pervenit scriptura, quae ante correctionem in G fuit? Potest quidem certo numero locorum adhuc dignosci, quid G¹ scripserit; sed aegre tantum; saepe autem legi omnino non potest (39,11 *etruscus* cf. Bonnetum l. l. 43,8 *o seclum* 51,3. 4 falsam versuum distributionem sanavit, cf. Bonnetum 51,5 *misero quod* 64,253 *te quaerens* 69,5 *fabula qua,* alia). Praeterea, ut supra iam monuimus, libros illos ex G deri-

vatos esse tum tantum recte colligitur, si constat libri G correctorem ex suo ingenio correxisse. Atqui inter eas correctiones, quae aperte falsae sunt, nonnullae extant, quarum origo explicari non potest, nisi correctorem librum G cum alio codice comparasse eiusque scripturas in G intulisse ponimus. Quod ut exemplo illustremus, corrector 64,309 *vitte* quod verum est mutavit in *victe; victe* sensu cassum et aperte corruptum est atque eiusmodi est haec corruptela, ut id non consulto ad emendandum Catullum fictum, sed simplici librarii describentis errore ortum esse appareat. Unde colligitur correctorem libri G id non ex suo ingenio, ut Baehrensius vult, sed ex codice, in quo *victe* librarii neglegentia scriptum erat, sumpsisse. Idem quod de hoc loco de aliis quibusdam correctionibus affirmare licet (14,16 *hec tibi salse sit abibit* 43,8 *atque* 64,355 *prosternens* 68,115 *terretur* cf. Bonnetum 76,5 *manenti,* alia), ita ut certe partem correctionum illarum statuere possimus scripturas esse ex alio libro in codicem G translatas. Quod si recte statuimus, iam actum est de Baehrensii sententia, qua censet correctiones libri G ab ipso scriba esse inventas. Quis enim negabit fieri posse, ut omnes correctiones ex eodem libro ac pars illa transcriptae sint? Immo valde probabile est id ita fuisse, nam quem summa religione in transcribendis corruptelis uti videmus, putabimus eum ausum esse libero arbitrio verba poetae immutare?

Iam ad Bonnetum redire licet. Is idem, quod nos ex vestigiis quibusdam efficere studuimus, diligenti titulorum libri G consideratione luculenter demonstravit librum G correctum esse collato alio libro. Hunc librum necesse est censoris manum passum esse, propterea quod in G a manu secunda coniecturae falsae habentur, quibus et O et G[1] caret. Ceterum utrum is fuerit apographon codicis V an ipse V post descriptos O et G ab homine docto correctus sit, Bonnetus in dubio reliquit et poterat relinquere, nihil enim hoc facit ad rem.

Ex eis quae adhuc disputavimus satis apparet Baehrensii

de G ceterorum librorum archetypo sententiam firmis argumentis carere. Fieri enim potest, ut libri illi, quamvis cum correctore G consentiant, tamen non ex hoc, sed ex eo libro, ad quem ille correctus est, originem traxerint. Et iam supra se obtulerunt nobis momenta quaedam, quae contra Baehrensii sententiam pugnabant, alterum, quod in G habetur certus numerus vitiorum scribae errore ortorum, quibus D et L et ceteri vacant, alterum, quod etiam talibus locis, ubi quid prima manus scripserit legi iam non potest, pars ceterorum librorum id exhibet, quod a prima exaratum fuisse ex codicis O scriptura verisimile est.

Revera autem G non esse archetypon ceterorum librorum omnium demonstrari potest comparatis scripturis duplicibus, quae in illo libro et in Bononiensi (B apud Ellisium) extant.

De scripturis duplicibus libri G similis atque de correctionibus inter viros doctos dissensus est. Baehrensius enim eas omnes ab eodem scriba, qui ipsum textum exaravit, ex archetypo V transcriptas esse putat, ut qui in illis et in textu eandem manum cognoscere sibi visus sit. Qua in re quamquam sunt, qui ei astipulentur (Woelfflinus nunt. erud. Gott. 1855 p. 1982 Ellisius ed. alt. p. XLIX), tamen alii aliter de ea re iudicaverunt. Inter quos Bonnetus partem scripturarum illarum ab ipso libri G scriba simul cum textu exaratam videri affirmat, partem autem ab eadem manu scriptam qua correctiones atque ex eodem libro petitam esse. Nos in ea re Bonneto fidem habemus; ceterum utram sententiam probemus, non multum interest, dubium enim non est, quin scripturae illae duplices in V fuerint atque ex eo quacunque via in G pervenerint.

Eiusdem generis scripturae sunt etiam in libro B, quas iam cum G comparabimus. Undeviginti in eo duplices scripturae habentur, quae eaedem in G extant:

2,3 *petenti al patenti*
10,27 *deserti al deferri*
12,2 *ioco al loco*

14,15 *opimo al optimo*
25,3 *arancoroso al araneoso*
28,11 *parum al pari*
33,4 *voratiore al volantiore*
34,21 *scis quecunque tibi placet al sis quocunque tibi placet*
40,8 *poema al pena* G *pena al poema* B
42,3 *locum al iocum*
50,13 *omnem al essem*
62,37 *quod tamen al quid* G *quod tamen al quid tum* B
64,3 *Fascidicos al Phasidos*
64,178 *Idoneosne al Idmoneos*
64,283 *curulis al corollis*
al os *o*
64,285 *penies* G *penies* B
64,324 *tutum opus al tu tamen opis* G *tutum (opis* om.) *al tutamen* B
66,35 *sed al si*
66,54 *asineos al arsinoes* G *arsinoes al asinios* B

Ceteris locis numero sexaginta tribus, quibus in G duplices scripturae sunt, liber B plerumque alteramutram scripturam exhibet, modo eam, quae in ipso textu libri G exarata est, modo eam, quae inter versus vel in margine eius extat; paucis tantum locis neutram praebet, sed aliud quid, quod errore ortum videtur. Et his quidem non refellitur id quod Baehrensius putat G archetypon esse ceterorum librorum; fieri enim potest, ut scriba libri B undeviginti illas duplices scripturas religiose descripserit, ceteris locis neglecta altera scriptura eam tantum, quae sibi verior videretur, exaraverit. Iam autem illud animadvertendum est extare in codice B praeter undeviginti illas duplices scripturas etiam alias numero quattuordecim, quarum sex occurrunt in priore carminum Catullianorum parte usque ad 66,57, ceterae in posterioribus carminibus, in quibus G nullas exhibet duplices scripturas:

30,9 *inde al idem*
39,20 *expolitor al expolitior*

44,8 *vertitur mens al vertur*
x
64,80 *versarentur*
e
64,303 *fluxerunt*
66,45 *atque al cumque*
68,91 *frater al fratri*
68,119 *nec causa al neque tam*
92,2 *amo al amat*
97,1 *quicquid al quicquam*
98,4 *carpatians al carpatinas*
100,2 *treronensum al veronensum*
100,6 *est igitur al exigitur*
103,3 *numi al mimi*

Iam si Baehrensium sequimur, ponere debemus has quattuordecim duplices scripturas non ex G descriptas, sed a scriba libri B fictas esse. Sed hoc ne speciem quidem probabilitatis habet, nam siquid certum, hoc certissimum est quattuordecim has scripturas eiusdem esse generis atque undeviginti illas, quas supra memoravimus. Praeterea quamquam de nonnullis earum dubitari potest, utrum in communi archetypo codice V extiterint necne, tamen de aliis hoc plane certum videtur:

30,9 *inde al idem* B *inde* DLG *idem* O
68,119 *nec causa al neque tam* B *nec tam* DO *nec causa* G
neque tam
nec causa L
100,2 *treronensum al veronensum* B *veronensum* DG *treronensum* O *treronensium* corr. in *veronensium* L

Neque 66,45, ubi in DO *cumque,* in LG *atque* legitur, duplicem scripturam *atque al cumque* quae in B est facile negari potest in V extitisse, cum illud *cumque* de coniectura in B illatum esse credibile non sit. Quodsi certum est omnes has duplices scripturas ex eodem fonte in codicem B pervenisse, nonnullas autem earum in G non haberi, sed in V fuisse, codicem B non ex G, sed ex V fluxisse consequens fit, G igitur certe non omnium ceterorum librorum archetypon esse.

Praeterea autem hac comparatione codicum G et B effectum est, ut de pretio scripturarum, quae duplices in illo extant, rectius iudicare possimus. Permagni enim ob has duplices scripturas aestimari solet codex G, cum hinc naturam archetypi animo fingere posse videamur. Et sine dubio codex G reliquos libros omnes hac re superat, quod plurimae duplices scripturae ex archetypo V in eum pervenerunt. Sed illud tenendum est extitisse in libro V etiam duplices scripturas, quae in codice G non extant, id quod eis quae de libro B protulimus demonstratum est. Illud praeterea in dubio relinquendum est, num omnes duplices scripturae libri G in ipso V exaratae fuerint. Extant enim earum in numero haud paucae, quae inde videntur ortae esse, quod librarius, cum duobus modis archetypi scriptura legi posset, incertus utrum adhiberet, utrumque posuit itaque ipse duplicem procreavit scripturam; id quod recte viri docti monuerunt. Huius generis videntur esse 7,6 *beati al beari* 23,19 *culus al cuius* 25,5 *alios al aves al aries* 64,288 *non acuos al nonacrias,* alia. Haec autem non obstant, quominus concedamus extitisse in V sat multas duplices scripturas atque codicem G optimam harum scripturarum imaginem praebere.

Postquam sic de correctionibus et scripturis duplicibus in universum disputavimus, restat, ut singulos locos recenseamus, quibus ex eis aliquid fructus ad constituendum textum redundat.

Atque de singulis correctionibus non iam multa monenda sunt; nam ubicunque corrector genuinum in G restituit, semper iam Lachmanni libri verum exhibent. Sed de nonnullis eorum versuum, in quos corrector falsam scripturam intulit, nobis disserendum est; quibus cum Lachmanni libri eandem illam falsam scripturam praebeant, primam codicis G manum aut verum ipsum aut aliquid, quod a vero non procul abest, habuisse sive cognosci sive colligi potest. Atque tribus horum locorum corrector scripturam falsam mero scribae errore ortam, quinque infelicem emendationem in librum G intulit:

14,18

Curram scrinia: Caesios, Aquinos

Scrinia praebent G¹O, *scrinea* G²DL (cf. Bonnetum l. l.).

61,204 (197)

quoniam palam
Quod cupis capis et bonum
Non abscondis amorem.

Haec et in Lachmanni libris et in G extant, sed in G *capis* a correctore restitutum est ex primae manus scriptura *cupis* cf. Bonnetum l. l. O cum pr. m. codicis G facit. A scriptura vulgata *quod cupis capis,* quam Lachmannus amplexus est, recte videntur recessisse Heinsius Baehrensius Vahlenus (Cat. Tib. Prop. ab Hauptio recogn. ed. IV) scribentes *quod cupis cupis.* Quid enim maritus capit? Palam certe nihil capit. Praeterea cum adverbium *palam* insigni enuntiati loco cum vi et pondere ponatur, non apte verbum capiendi ita infertur, ut cupiendi verbo opponi videatur; oppositio potius inter *cupere* et *palam cupere* desideratur idque confirmat sequentis enuntiati conformatio *et bonum non abscondis amorem.* Quamobrem scripturam *cupis* praestare puto.

64,355

Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.

Participii formam *prosternens* D et prima manus codicis L testantur, scriptura *prosternet* Lachmanno nota erat ex L, quo in libro a correctore futurum adscriptum est. G a pr. m. habet *prosternet,* quod a correctore in *prosternens* mutatum est, O cum pr. m. codicis G facit. *Prosternet* constructione grammatica requiritur et cum apud alios editores tum apud Lachmannum in textu legitur. Illi tantum viri docti, qui inter eas carminis particulas, quae versu intercalari finiuntur, responsionem quandam accuratam fuisse sibi persuaserunt, veluti Ellisius, *prosternens* verum esse et unum versum excidisse statuunt, ut quattuor versuum particulam nanciscantur. Sed ne illi quidem omnes ita iudicant neque multum hac ratione proficitur ad accuratam respon-

sionem restituendam neque denique omnino videtur esse, cur talem responsionem fuisse censeamus. Accedit, quod participium *prosternens* satis facili errore a librario scribi poterat paullo antecedente participio *praecerpens*. Quare *prosternet* a Lachmanno recte praelatum esse arbitramur.

44,11

Orationem minantium petitorum
Plenam veneni et pestilentiae legi.

Prior versus Lachmanni libris sic traditur, uti eum adscripsi. Idem in G a correctore effectum est ex primae manus scriptura:

Oratione minantium petitorem.

Apparet autem hanc scripturam, quae eadem in O extat, proxime ad verum accedere: dummodo verba recte distinxeris, id quod iam Itali fecerunt, verum habes:

Orationem in Antium petitorem.

Altera autem illa orta est a librario quodam, qui cum sententiam restituere conaretur et sententiam et metrum plane pessumdedit.

45,10

At Acme leviter caput reflectens.

Lachmanni libri exhibent *ad hanc me,* in G exaratum est *ad hāc me,* sed virgula illa ut Baehrensio visum est a correctore addita, O praebet *ad hac me.*

62,8

Sic certest: viden ut perniciter exiluere?

Lachmanni libri exhibent *certe,* idem in G extat, sed post vocem *certe* duae litterae erasae sunt. Schwabius a prima manu *certest* scriptum esse putabat, sed cum prima codicis G manus semper fere cum scripturis codicis O consentiat, *certe si,* quod in O exaratum est, in G extitisse paene certum est. Rursus igitur scriptura codicum D et L, quam eandem corrector in G intulit, integritate longe superatur a codice O et a prima manu codicis G; accedit his praeterea in hoc carmine Thuaneus, qui eadem atque illi, sed aliter distincta *siccer tes i* exhibet.

62,40

Ignotus pecori, nullo c o n t u s u s *aratro.*

Sic Lachmannus in prima editione versum scripsit ex codicibus D et L eademque extant in G ita tamen, ut verbi *cōtusus* litterae *ot* in rasura positae sint. Quid a prima manu exaratum fuerit, dispici non iam potest, sed in O legitur *conclusus* et id etiam in G extitisse ante rasuram ponendum est. Quarum scripturarum alteram *conclusus* nihili esse, alteram *contusus* sententiae satis facere apparet. Sed cum *conclusus* ex *contusus* scribendi errore ortum esse non sane probabile sit, suspicionis ansam inde sumere debebimus, num forte *contusus* a correctore excogitatum sit, quo aperte corruptum *conclusus* emendaret. Et non sine iusta causa nos sic agere ex codice Thuaneo intellegitur, is praebet *nullo convolsus aratro*; hoc enim *convolsus* ab antiquissimo codice commendatum, poetae ingenio dignum non poterimus non genuinum putare. Neque id ita est comparatum, ut codicis O scriptura non librarii errore ex eo orta esse possit; nam Baehrensii rationem, qua discrepantiam hanc explicare studet (p. XX), ut satis dubiam abicimus. *Convolsus* autem Hauptio monente etiam Lachmannus in altera editione edidit.

5,8

Dein m i l l e *altera,* d e i n *secunda centum.*

In L ab ipso scriba versus per errorem omissus est, a correctore vero in margine sic adscriptus:

Deinde mille altera deinde secunda centum,

quae scriptura facili opera ita corrigitur, ut pro *deinde* bis forma monosyllaba *dein* ponatur, id quod iam Itali fecerunt. Idem, quod altera manus codicis L in margine adscripsit, habet O, habuit prima manus libri G; sed in hoc a correctore *mille* mutatum est in *mi,* alterum *deinde* in *da*:

Deinde mi altera da secunda centum.

Cum correctore libri G consentit cum vulgus codicum tum D, nisi quod hic pro *mi,* habet *me.* Magni autem hic locus est momenti, quod O et prima manus codicis G genuinum ipsum levi tantum errore infectum praebent, cum

ceterorum scriptura profecta sit haud dubie a correctore, qui metrum corrigere conabatur.

Apparet autem his octo locis quos modo tractavimus codicem G Lachmanni libris pristina librarii scriptura praestare, non correctionibus; sunt igitur eiusdem generis atque illi, quos in initio huius disputationis congessimus. Et fortasse etiam pertinet huc nonus, 64,249, quo dubitare licet, quid Catullus scripserit:

Quae tamen prospectans cedentem maesta carinam.

Hanc scripturam aperte vitiosam habent G[1] et O, G[2] corrigendo effecit:

Quae tamen aspectans cedentem maesta carinam

idque Lachmannus e suis libris edidit. Neque negari potest hoc recte dici posse. Sed si recordamur locorum illorum, de quibus modo egimus, suspicio oriatur necesse est, ne ut illis sic hic quoque scriptura metro conveniens correctori debeatur. Ea suspicio firmatur eo, quod duos testes habemus, qui in V *quae tamen prospectans* fuisse testantur, G[1] et O. In emendando igitur proficiscendum videtur ex scriptura *quae tamen prospectans.* Et iam duae patent viae, altera, ut probetur vetus illa coniectura *quae tamen aspectans,* altera, ut cum Schwabio scribatur *quae tum prospectans.* Nos, quamquam sane fieri potuit, ut librarius memoriae lapsu ex versibus 52. 60. 61. 62, quibus eundem in modum Ariadne describitur atque hoc loco:

Namque fluentisono prospectans litore Diae —
Quem procul ex alga maestis Minois ocellis
Saxea ut effigies bacchantis prospicit euhoe,
Prospicit et . . .

prospectans pro genuino *aspectans* huc inferret (idem vitium commissum est in v. 389 in D et in v. 243 in codice, quem Ellisius littera a significavit), magis fere eo inclinamus, ut alteram ingrediamur viam recordantes quam saepe voculae *tum* et *tamen (tū* et *tn̄)* a librariis commutentur.

Immerito autem Baehrensius ex scriptura, quam G[1] et

O exhibent, aliquid expiscari studens pro *velatum* scripsit *vallatum* 64,293:

Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Talem Lachmanni libri hunc versum testantur, in G a m. pr. *vellatum* exaratum est, a correctore alterum *l* erasum; *vellatum* littera *l* dupliciter scripta praeterea extat in O. Duplex enim *l* habet explicationem suam ex consuetudine illa, qua in archetypo non solum consonas dupliciter ponendas semel tantum scriptas (cf. Baehrensium p. XLV), sed etiam semel ponendas duplicatas esse scimus (4, 1. 10. 15 *phasellus* 17, 4. 28,9 *suppinus* 28,8 *reffero* 29,23 *oppulentissime* 37,2 *pilleatis* 61,92 (88) *ortullo* 61,168 (161) *rassilem,* alia); et firmatur velandi verbum his locis Ovid. Trist. IV 2,3:

Altaque velentur fortasse Palatia sertis

et Verg. Aen. II 248 sq.:

Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Vidimus correctionibus nullam bonam scripturam in G illatam esse, quae non in D et L extet. Neque multo maior est fructus, quem ex scripturis duplicibus ad emendandum textum capimus; parvus est numerus earum bonarum, quae quidem Lachmanno ex D et L nondum notae fuerint. Plus enim octoginta in G cum extent duplices scripturae, si eos exceperis locos, quibus utraque falsa est, plus quadraginta locis ea, quae inter versus adscripta est, vera, quae in textu exarata, falsa est; fere viginti locis quod in textu extat verum, quod inter versus depravatum est; in utroque autem locorum ordine quattuor tantum sunt, quibus Lachmanni libri falsam scripturam praebent. Atque in priore quidem hi:

28,11

Sed, quantum video, pari fuistis
Casu.

D et L exhibent *parum*, La² et O *pari,* G *parum* suprascripto *al pari.* Item *casu* recte in G et O extat, cum D *casum,* L *casus* praebeat.

66,24

Ut tibi tunc toto pectore sollicitae

nunc DL *tunc* La²O *nunc* suprascr. *tunc* G.

34,21

Sis quocunque tibi placet

Hanc genuinam scripturam exhibent margines codicum G et B, praeterea O, ceteri, quorum in numero etiam D et L sunt, praebent *scis quaecunque tibi placet* vel *placent.*

10,13

Praesertim quibus esset irrumator
Praetor non facerent pili cohortem.

Haec est scriptura codicis D, a qua L ita tantum recedit, ut *non faceret* praebeat. Lachmannus dubitans, quid verum sit, D scripturam aperte corruptam in textu posuit, in annotatione autem critica Gronovii coniecturam *non faciens* affert eoque commendat. Sed ex eis, quae G et O tradunt, aliud quid Catullum scripsisse apparet. G enim exhibet *non faceret* suprascr. *al nec,* O *nec faceret,* neque dubium videtur, quin illud *nec faceret* verum sit:

Praesertim quibus esset irrumator
Praetor nec faceret pili cohortem.

Tale enim dicendi genus non abhorret ab usu sermonis Latini, cf. Cat. 2,3:

Quoi primum digitum dare adpetenti
Et acris solet incitare morsus.

Ter. Andr. I 1,66:

Nam qui cum ingeniis conflictatur eius modi
Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere

et exemplum illud, quod Rossbergius in recensione editionis Baehrensianae (Fleckeiseni ann. 1877 p. 173) attulit ex Tib. IV 2, 15—17:

Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det sucis bis madefacta Tyros,
Possideatque.

His igitur quattuor locis vera scriptura in G inter

versus addita est, atque prioribus duobus Lachmanno iam ex La^{2} nota erat; ceteris autem iam ante codicem G repertum coniectura a viris doctis inventa erat, quamquam tertio tantum loco in Lachmanni textu habetur.

Ceterum duobus praeterea locis Baehrensius ex duplici codicis G scriptura Catullo opem afferri posse putavit, 1,8 et 64,178. Sed priore loco *mei* illud haud dubie non Catulli, sed librarii cuiusdam est, posteriore *Idmeneos*, quod ex *Idmoneos* ille elicuit, multis opinor erit obscurum.

Restant iam quattuor loci, quibus quod inter versus adscriptum est depravatum est, scriptura autem primae manus et huic praestat et ei quod D et L exhibent; apparet igitur hos quoque ut octo illos supra memoratos eis locis adnumerandos esse, quos in initio disputationis nostrae contulimus.

12,4

Hoc salsum esse putas? Fugit te, inepte.

DL *falsum*, G *salsum*, cui suprascriptum est *al falsum*, O *falsum al salsum.*

55,22

Dum vestri sis particeps amoris

DL *nostri*, G $\overset{al\ no}{vestri}$, O *vestri.*

54,5

Tibi et Fuficio seni recocto

DL *seniore copto*, G et O *seniore cocto*, sed in G supra alterum *c* additum est *al p.*

14,16

Non non hoc tibi, false, sic abibit.

False DLO exhibent, G habet *salse* suprascripto *false.* Lachmannus contra codicum suorum testimonium *salse* in textu posuit, qua in re omnes editores eum secuti sunt praeter unum Baehrensium, is nuper *false* edidit. Quod quamquam nos non fugit Baehrensium per iocum dictum esse velle, tamen vel sic frigidum nec satis urbanum videtur. Tantam enim et tam iucundam familiaritatem inter Calvum et

Catullum fuisse, ut crimen fallaciae et perfidiae etiam ioco prolatum rusticitatem redoleret, ex ipso hoc carmine cognoscitur. Neque Calvus poetarum pessimorum carmina tam eo consilio Catullo misit, ut eum luderet, quam ut risum ei moveret accepto libello opus nescio quod magnum et novum expectanti, aperto deinde invenienti contempta carmina poetarum illorum, quorum imbecillitatem iam saepe cum Calvo riserat. Non ipse igitur Catullus, sed potius poetae mali ioco Calvi tanguntur. Contra *salsum* Catullus aptissime Calvum appellare poterat; salsus enim est is, qui lepide et facete iocari scit; neque solum de facete dictis id ponitur, sed etiam de rebus lepido ioco factis, cf. initium carminis 12.

Denique in fine huius partis summam paucis comprehendamus. Primum locos viginti tres contulimus, quibus, cum D et L vitiis infecti sint, G aut verum ipsum exhibeat aut satis prope a vero absit. Ad hos praeterea accedunt duodecim: octo, quos p. 17—19 et quattuor, quos p. 23 sq. huc pertinere perspeximus. Quibus locis quamquam omnibus verum iam antequam codex G in lucem prodiret a viris doctis inventum erat et longe plurimis in Lachmanni textu habetur, tamen codicis G auxilium spernendum non est, cum aliquoties coniecturae, quae alioquin satis dubiae videri poterant, nunc libri scripti auctoritate nitantur. Ex scripturis duplicibus id commodi nanciscimur, ut imaginem codicis V animo informare possimus; ad emendandum textum paucissimis locis aliquid eis proficimus, quattuor, quibus omnibus iam antea verum repertum erat. Iam quamquam non iniuria nec sine fructu codicem G in medium prolatum esse apparet, tamen cavendum est, ne nimium auctoritatis ei tribuatur; vidimus enim ex correctionibus eius nihil ad restituendam poetae manum redundare, immo bonam primae manus scripturam interdum oblitteratam esse; vidimus eum scribendi erroribus infectum esse, quibus Lachmanni libri carent; vidimus denique, id quod gravissimum est, errare eos, qui ceteros libros omnes ex eo fluxisse eosque iam nobis abiciendos esse censent.

Eadem ratione, qua in priore particula de codice G, in hac altera de libro O agemus congerentes et eas scripturas, quibus O Lachmanni libris D et L praestat, et eas, quibus eis inferior est.

Eorum autem locorum, qui in O sive integri sive minus quam in D et L corrupti leguntur, iam in primo capite fere dimidiam partem memoravimus: nam inter undequadraginta illos locos, quibus codicem G aut ipso textu aut duplici scriptura Lachmanni libros antecedere vidimus, triginta sex sunt, ubi codex O cum G consentit, tres tantum, ubi eisdem quibus D et L mendis laborat. De his triginta sex locis quamquam non amplius nobis disserendum est, tamen non alienum videtur eos uno conspectu hic comprehendere: 9,8 *tuus* 11,3 *ut* 11,10 *visens* 12,4 *salsum* 14,18 *scrinia* 22,4 *esse ego* 28,11 *pari — casu* 34,21 *sis quocunque tibi placet* 37,9 *atqui* 55,22 *vestri* 61,104 *volet* 61,166 *omine* 63,33 *iuvenca* 63,42.88 *Attin* 63,73 *iamque* 63,76 *iuncta* 64,355 *prosternet* 66,24 *tunc* 91,3 *constantemve* 106,1 *esse* 5,8 *dein mille* 39,12 *Lanuvinus* 44,11 *orationem in Antium petitorem* 45, 1. 2. 23 *Acme* 45,10 *At Acme* 52,2 *Nonius* 54,5 *seni recocto* 62,8 *certest* 10,13 *nec faceret* 61,204 *cupis cupis* 62,40 *convolsus* 73,4 *taedet obestque* 76,11 *offirmas.*

Ad illos iam accedunt alii, quorum primo loco ponam eos, quibus vera scriptura Italorum aut virorum aetate posteriorum coniecturis inventa et Lachmanno nota erat:

3,12

Illuc, unde negant redire quemquam

illud DLGO *illuc* margo O

4,17

Tuo imbuisse palmulas in aequore

tuas DLG *tuo* O

17,25

Et supinum animum in gravi derelinquere caeno
delinquere DLG *derelinquere* O

29,19
Hibera quam scit amnis aurifer Tagus
sit DLG *scit* O

55,11
Quaedam inquit nudum sinum reducens
quendam DLG *quedam* O

63,38
Abit in quiete molli rabidus furor animi
abiit DLG *abit* O

63,52
Famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem
retuli DLG *tetuli* O

63,81
Age caede terga cauda, tua verbera patere
tergo DLG *terga* O

64,25
Teque adeo eximie taedis felicibus aucte
thetis DG *thetys* L *tedis* O

64,165
Externata malo, quae nullis sensibus auctae
extenuata DLG *externata* O

64,231
Tum vero facito ut memori tibi condita corde
tu DLG *tum* O

66,72
Namque ego non ullo vera timore tegam
nullo LG *nulla* D *ullo* O

77,9 (78b,3)
Verum id non impune feres: nam te omnia saecla
id verum non DL
verum non id G
verum id non O

114,6
Saltum laudemus, dum domo ipse egeat
saltem DLG *saltum* O

66,55

Isque per aetherias me tollens avolat umbras

advolat DLG — *avolat* O

Hoc loco Lachmannus quamquam verum non in textu posuit, tamen in annotatione critica Canteri emendationem *avolat* affert, id quod commendationis instar est.

Quattuordecim locis Lachmannus veram scripturam, quam O exhibet, edidit ex aliis quibusdam libris, quos in editione sua aliquotiens in usum vocabat, Laurentiano (La^{2}) Riccardiano, Parisino vel ex altera libri L manu (L^{2}):

30,7 (9)

Idem nunc retrahis te ac tua dicta omnia factaque

inde DLG — *idem* La^{2}O

39,2

Renidet usque quaque. Sei ad rei ventumst

seu DLG — *sei* La^{2}O

42,7

Quae sit quaeritis. Illa quam videtis

illam DLG — *illa* La^{2}O

59,1

Bononiensis Rufa Rufulum fellat

fallat DLG — *fellat* La^{2}O

64,10

Pinea coniungens inflexae texta carinae

testa DLG — *texta* La^{2}O

73,6

Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit

amicum habet DLG — *habuit amicum* La^{2}; *amicum habuit* O

68,130

Ut semel es flavo conciliata viro

e flavo LG; *est flavo* D — *es flavo* Ricc. O

68,50

In deserto Alli.nomine opus faciat

ali LG *aliis* D — *alii* Par. *alli* O

25,2

Vel anseris medullula vel imula auricilla

medulla DLG *medullula* L²O

61,183 (176)

Iam cubile adeat viri

adeant DLG *adeat* L²O

64,183

Quine fugit lentos incurvans gurgite remos

quive DLG *quine* O

ventos LG
unctos D *lentos* L²O

67,8

In dominum veterem deseruisse fidem

venerem DLG *veterem* L²O

68,67

Is clausum lato patefecit limite campum

classum LG
crassum D *clausum* L²O

92,3.4

Quo signo? quia sunt totidem mea: deprecor illam
Adsidue, verum dispeream nisi amo.

Omissi sunt hi duo versus in DLG, extant in O et in margine libri L a correctore additi. Lachmannus, qui hos versus in uno L atque in margine a manu secunda haberi videbat, eos ab Italis ex Gellio (VII 16,2) additos esse arbitrabatur. Qua in re non est, cur eum sequamur; ponimus igitur eos in Veronensi archetypo fuisse, neque propterea iam opus est Gehrmanno (progr. gymn. Braunsberg, 1879) assentiri, qui ex uno hoc loco consequens esse dicit ex G fluxisse ceteros praeter O libros, quippe qui in omissis illis versibus cum eo consentiant. Facilius enim ab exitu versus alterius ad similem quarti aberrari potuit, quam ut non credibile sit, bis vel adeo ter id librario describenti accidisse. Et praesto est praeterea alia explicandi ratio, quae haud scio an probabilior sit; fieri potest, ut versus illi duo in

textu codicis V omissi in margine adscripti fuerint, ut facile ab alio librario respicerentur, neglegerentur ab aliis.

Iam ad eos progredimur locos, quibus O, quamquam non verum ipsum praebet, tamen fidelius archetypi scripturam corruptam reddidit et propius a vero abest quam D et L:

63,46

Liquidaque mente vidit sine queis ubique foret

sineque his DLG — *sineque is* O

64,138

Inmite ut nostri vellet miserescere pectus

mitescere DLG — *mirescere* O

67,42

Solam cum ancillis haec sua flagitia

conciliis DG
cum conciliis L — *concillis* O

76,11

Quin tu animo offirmas atque istinc teque reducis (cf. p. 6)

instintuque D
instincto L — *instincteque* O
instinctoque G

77,10 (78b,4)

Noscent et qui sis fama loquetur anus

famulosque tenus D
famuloque tenus L — *famuloque tanus* O
famuloque canus G*)

Quattuor locis qui huc pertinent Lachmanno eadem quam O exhibet scriptura vel similis ex Laurentiano aut Parisino aut libri L manu secunda praesto erat:

28,12

Casu: nam nihilo minore verpa

---

*) Iniuria huc referuntur scripturae, quales O praebet 64,4 *pupis* pro vero *pubis* (cett. codd. *puppis*) et 36,1 *anuale* pro *annales* (cett. codd. *annuale*). Talia enim ob rationem orthographicam, quam codicis O librarius adhibebat, nihil hac in re valere possunt; cf. 64,6. 172.

verba DLG	*verpa* La *urpa* O

66,5

Ut Triviam furtim sub L a t m i a *saxa relegans*

sublimia DLG	*sub lamia* Par. *sublamina* O

34,12

Amnium q u e *sonantum*

omnium DLG	*omniumque* L·O

107,7

Quis me uno vivit felicior, aut magis h a c r e s
Optandas vita dicere quis poterit?

Sic Lachmannus versus restituit; in altero versu codices omnes *optandus* habent, in fine prioris *me est* DG *me* (*hac* suprascr.) *est* L *hac est* Par O.

Cognoscitur praeterea bonitas quaedam codicis O in compendiis nonnullis archetypi accurate redditis, quae in ceteris libris male librarii interpretati sunt:

14,5

Cur me tot m a l e *perderes poetis*

Codices praeter O exhibent *malis*, in O extat compendium *mal'*, quod et pro *male* et pro *malis* ponitur.

28,9

O Memmi, bene me ac diu supinum

O habet *omē mi*, ceteri ex compendiorum permutatione (*ōe* et *ōē*) praebent *omnem mi*; et in hunc errorem saepe librarii inciderunt: 90,6, ubi in libris haud paucis pro *omentum* extat *omne tum*; 45,4 libri praeter O exhibent *omnes*, quod in O corruptum est in *omens*.

61,194 (187)

Alba parthenice v e l u t

vultu DL *vultu al vult* G	*vlt* O

Idem compendium vocis *velut* in O recte scriptum praeterea uno loco occurrit 63,14, prave in *vult* deformatum ter 61,21.

61,102. 64,105. In ceteris libris semper *velut* exaratum est excepto hoc uno de quo agitur loco.

116,2

Carmina uti possem mittere Battiadae

In O scriptum est *baτade*, quod, si Baehrensio*) fides, et *Batiadae* et *Batriadae* esse potest. In ceteris codicibus compendio perverse explicato habetur *batriade.*

71,1

Hic versus levioribus quibusdam scripturae differentiis omissis sic in libris praeter O extat:

Si qua viro bono sacrorum obstitit hircus.

Qua ex scriptura Hauptius in quaest. C. p. 91 (op. I. p. 66) usus Italorum coniecturis versum sic restituendum esse putabat:

Si quoi iure bono sacer alarum obstitit hircus.

Editorum post illum alii (Heysius, Schwabius) eum secuti sunt, alii non, partim alia Italorum conamina commendantes, partim suo Marte nova proferentes. Inter quos Ellisius qui scribit:

Si quoi, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus

id neglexit, quod Hauptius p. 67 rectissime monet: *Virro si probamus, alius etiam vocabuli mutatio requiritur; nam bono nisi aliud quid accedit, nihil potest significare.* Studuit quidem vir doctus explicare illud *bono* in commentario p. 347, sed quod ibi dicit verba *si cui bono obstitit* idem esse ac si Catullus dixisset: *si cui bono fuit (profuit), quod hircus obstaret,* verendum est, ne verba illa ab homine Romano non sic intellecta sint. Neque ipsi Ellisio haec explicatio videtur valde placuisse, nam paullo post dativum *bono* coniungit cum pronomine *cui* — reddit enim sententiam versus his verbis: *If there was a good soul* etc. — et cum *εἰρωνείᾳ* quadam dictum esse *bono* putat. Et hanc explicationem concedimus tolerari posse, siquidem solam ver-

---

*) In eius apparatu haec huius compendii extant exempla: 62,21 *amaτs* in O, 63,9 *maτ* in O, 64,292 *τcum* in O, 39,20 *expoliτor* in G ex Bonneti testimonio hoc loco scriptum est *expolit'or.*

borum constructionem grammaticam spectamus; sin sententiarum nexum respicimus, neque quid ironia hoc loco sibi velit satis apparet neque omnino explicatio illa satis facere potest. Certissimum enim est primum versum cum in universum simillimam versui alteri habuisse sententiam, nisi quod in illo de hirco, in hoc de podagra agebatur, tum imprimis voce similis notionis, cuius in altero *merito* est, eum carere non potuisse. Hauptius quidem, quamquam et ipse huiusmodi vocem desiderat, tamen concessit posse fortasse voculam *merito* altero versu positam ad utrumque respicere; mihi ne hoc quidem concedendum videtur; hac enim vocula primi versus non minus quam alterius vis continetur, hac vocula nititur ironice positum illud *mirifice* quod infra infertur; ea igitur aegre in primo versu caremus; eamque nanciscimur probantes quam Hauptius probavit Italorum coniecturam *si quoi iure bono.* In exitu primi versus Ellisius Hauptio astipulatus est, sed Baehrensius nisus codice suo Oxoniensi, qui pro ceterorum librorum scriptura *sacrorum* praebet *sacratorum,* sic versum a Catullo profectum esse sibi persuasit:

Si quoi, Virro, bono sacratorum obstitit hircus.

Quae verba quomodo vir doctus intellegi velit, nec ipse dicit nec mihi satis constat. Firmatur autem scriptura quam Hauptius commendat *sacer alarum obstitit hircus* hoc Ovidii loco fast. II 441:

Italidas matres, inquit, sacer hircus inito,

non testimonio Isidori Hispalensis, qui in libro de differentiis sermonis laudat verba *sacer hircus* non nominato scriptore; is enim non, ut Hauptius suspicabatur, hunc Catulli locum, sed potius Ovidium videtur respexisse (cf. Ellis. ed.[2] p. VI ann. 3). Firmatur autem *sacer alarum* praeterea scriptura codicis O *sacratorum* exhibentis litteris *at* compendio scriptis. Nam quod mirum videri poterat, *sacer alarum* in *sacrorum* corruptum esse, id qua ratione factum sit ex hac scriptura iam dilucide perspicitur.

97,3

Ex totius loci connexu apparet sententiam inesse debere in hoc versu hanc: os nihilo mundius est quam culus, culus nihilo immundior est quam os. Atque hanc sententiam Ellisius inesse putavit in verbis, quae in editionis suae textu posuit:

Nilo mundius hoc, niloque immundius illud.

Vult igitur verba *immundius illud* respicere ad *culum.* Sed quamquam codices genus neutrum testantur, quamquam Catullus eo sic uti potuit, tamen haec scriptura non genuina videtur. Nam cum in pentametro, in quo nulla est librorum discrepantia, genus masculinum habeamus:

Verum etiam culus mundior et melior,

in hexametro quoque non credemus poetam genere neutro usum esse. Accedit, quod librarius, qui modo exaraverat *mundius hoc*, si iam masculinum *immundior ille* sequebatur, facili errore hoc convertere poterat in neutrum *immundius illud.* Praeferenda igitur videtur scriptura, quam Lachmannus in textu habet:

Nihilo mundius hoc, nihiloque immundior ille.

Iam igitur, postquam de versus forma disputavimus, progredi licet ad id, quapropter de eo verba facimus. Codices enim pro *nihiloque*, quod quin verum sit nemo dubitat, exhibent *nobisque* praeter ODL[2]; in O *nihiloque* habetur, in D *nihilo*, in L a manu secunda in margine *nihiloque* adscriptum est. Corruptum autem illud *nobisque* ex compendio archetypi male intellecto ortum esse videmus ex codice O. In eo
t
enim *nihiloque* compendio sic *noq;* scriptum est, ut a *nb̄q;* (*nobisque*) vix distingui possit, et prorsus similem in modum compendium illud in archetypo exaratum fuisse ponendum est.

Atque omnibus his locis, de quibus adhuc in hac disputationis particula egimus, vera scriptura, quae aut ipsa aut leviter corrupta postea in O reperta est, iam in editione Lachmanniana habetur. Iam ad eos pervenimus locos, quibus scriptura textus Lachmanniani probari non potest; tres

huius generis cum sint, duobus iam ab Hauptio, tertio a Schwabio vera scriptura inventa erat.

62,63

Tertia pars patri data, pars data tertia matri.

Sic Lachmannus scripsit secutus scripturam codicum D et L, quibuscum G consentit. Post Lachmannum Hauptius de hoc versu egit in quaest. C. p. 30 (op. I p. 22). Is cum Catulli arte indignum censeret versum, qui interpunctione post pedis tertii thesin posita in duas particulas pares dissecaretur, ex codicis Thuanei scriptura:

Tertia patris pars est data tertia matri

proficiscendum esse ratus sic versum conformavit:

Tertia pars patrist, pars est data tertia matri.

Et quamquam id ipsum, quod in Thuaneo extat, nihili est, versus autem, quem D et L exhibent, scandi potest, tamen ipse ille naevus, quem Hauptius in eo animadvertit, indicat eum non a Catullo profectum esse, sed refictum ab homine quodam, qui versui mutilato suos numeros reddere studuit. Mire autem stabilitur hoc iudicium testimonio codicis O, qui et ipse versum corruptum sed alia ratione corruptum exhibet. Facile enim cognoscitur, qua ratione scripturae et huius libri:

Tertia pars patri est data tertia matri

et codicis Thuanei:

Tertia patris pars est data tertia matri

ex eo oriri potuerint, quod Catullum scripsisse Hauptius suspicatur:

Tertia pars patri est, pars est data tertia matri.

Eo enim, quod scribae oculus a priore *est* ad alterum *est* aberravit, ortum est id, quod in O extat, quod idem in V fuisse et correctoris illius metrici manum passum esse ponere debemus. Thuanei scriptura sic orta est, ut *pars* ante *patri* omitteretur, simul autem ex *patri est* fieret *patris.* Priorem igitur versus partem recte servavit O, alteram

Thuaneus; collatis utriusque codicis scripturis veram poetae manum cognoscimus.*)

24,4

Mallem divitias uti dedisses.

Sic Lachmannus in prima editione scribendum proposuit, codices praebent *mi dedisses.* Sed postquam Hauptius in obs. crit. p. 8 (op. I p. 79) commonefecit Vossium in editione sua scribere:

Mallem divitias Midae dedisses,

nemo iam dubitat, quin haec scriptura vera sit. Atque ipsum hoc *Midae dedisses* in O exaratum est, nisi quod verba non recte distincta sunt *mi dededisses.*

101,7

Nunc tamen interea, prisco quae more parentum.

Haec Lachmannus ex D edidit, O exhibet *interea haec,* ceteri, in quibus L et G, *interea hoc.* Illud *hoc,* quod plerique codices testantur, mero errore ortum non videtur. Quare rectissime Schwabius (quaest. p. 276) hoc loco Lachmannum libro D nimium confisum esse dicit et comparato v. 43 Ciris scribendum esse probat, id quod postea in O inventum est:

Nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum.

Iam cum satis de eis locis videamur locuti esse, quibus O Lachmanni libris D et L praestat — nam ceteris locis, ubi viri docti codicis O auctoritate nisi a Lachmanno deflectunt, fere omnibus non satis caute iudicantes nimis fidei huic codici videntur habere — hic paucis totius summam complectemur.

Atque primum codicem O verum exhibere, cum scripturae librorum D et L depravatae essent, in hac dissertationis parte vidimus undetriginta locis; eis e priore de

*) In Fleckeis. ann. 1880 p. 490 Schoellius negavit Catullum vocem *patri* producta syllaba prima adhibuisse. Sed apud eundem Catullum habentur *cupressu* 64,291, *duplex* 68,51, *flagrandi* verbum 64,91. 67,25. 68,73. 139, *mitrae* 64,68, *scabra* 68,151, *supremo* 64,151 producta prima et ex Lucretio sufficiat attulisse *pātres* (IV 1222).

codice G parte addendi sunt viginti unus, quibus O et G in vera scriptura contra D et L consentiunt, ita ut summa horum locorum sit quinquaginta. Tum locos, quibus O propius quam D et L ad verum accedit, in hac parte novem congessimus, ad quos e priore de G parte decem accedunt, ut summa sit undeviginti. Deinde sex locis scripturae compendia in O servata sunt a librariis D et L male explicata. Atque omnibus his locis septuaginta quinque veram scripturam iam Lachmannus edidit. Praeterea autem octo sunt loci, — in hac dissertationis parte egimus de tribus, in priore de quinque — quibus cum aut O solus aut O et G meliorem quam ceteri libri scripturam praebeant, vera scriptura in Lachmanni editione nondum habetur, sed ab aliis viris doctis antequam illi codices in usum vocarentur inventa est. Nullus est locus, quo codex O bonam scripturam novam et virorum doctorum coniecturis antea non repertam praebeat. Longe autem plurimis illorum octoginta trium locorum falsae librorum D et L scripturae scribendi vel legendi erroribus neglegentiaque ortae sunt; octo locis (5,8. 11,3. 44,11. 45,10. 62,8. 40. 63. 73,4) interpolationes in D et L extant, quae absunt a codice O. Illud igitur profitendum est codicem O inter optimos Catulli libros habendum neque editoribus neglegendum esse.

Iam cum ad pravas libri O scripturas nos convertamus, primum de eis locis agemus, ubi interpolatoris operam cognoscere nobis videamur. Monendum autem est in priore de codice G parte nos iam duos huius generis locos tractavisse, 66,83 *colitis* et 42,14 *potes*, quibus O eandem atque G interpolationem praebet.

64,353

Namque, velut densas praecerpens cultor aristas
Sole sub ardenti flaventia demetit arva.

Haec est scriptura codicum fere omnium, nisi quod in O et in margine codicis L *messor* exaratum est. *Cultor* is est, qui aliquid colit, et cum colendi verbum primitus de agro adhibeatur, *cultor* est agricola et hanc notionem habet sive

coniunctum cum genetivo *agri* seu sine tali genetivo positum. Utrumque igitur et *cultor* et *messor* haud dubie sane hoc loco dici potest; sed si id spectamus, ut origo discrepantiae patefiat, *cultor* nobis praeferendum est, quod non videtur ab interpolatore profectum esse; nam si quis in libro suo legebat *messor flaventia demetit arva*, quae ei ansa esse poterat interpretandi? Contra si *cultor* genuinum erat, sane fieri poterat, cum verbum metendi sequeretur, ut quis notionem *cultor* accuratius sibi describendam putaret adscripto *messor*. Commendatur praeterea *cultor* loco Tibulli, quo et ipso *cultor metere* dicitur IV 2,17.18:

Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
Cultor odoratae dives Arabs segetis.

Non recte igitur Baehrensius *messor* ex O edidit.

61,106

Lenta qui velut adsitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum.

Sic *lenta qui* Lachmannus in editione scripsit pro codicum *lentaque*. Sed pronomine relativo haec non apte adnecti videntur praecedentibus:

Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera
Probra turpia persequens
A tuis teneris volet
Secubare papillis.

Et multo magis placet, quod Itali coniecerunt *lenta quin*, quod sententiae egregie convenit; est enim *quin* in hoc nexu nostrum *sondern vielmehr*, cuius usus exempla nuperrime congessit Kienitz in libello, cui inscripsit: *de quin particulae apud priscos scriptores Latinos usu*, Carlsruhe 1878 (Beilage zum Progr. d. grossh. Gymn. zu C. 1877|78.), quamquam vir doctus ibi etiam complures locos attulit, qui non videntur huc pertinere. Iam codex O praebet *lenta sed*, quod Baehrensius aliique genuinum putant. Et sane etiam haec

scriptura ad sententiam perapta est; nam idem fere valet atque illud *quin*. Sed genuinam eam putare incauti est, cum neque errore nec mutatione ceterorum librorum scriptura *lentaque* ex ea orta esse possit. Immo id ipsum, quod *lentaque* nihili est, indicio esse debet illud *sed* codicis O correctori tribuendum esse, qui perspecto mendo non optimam adhibuit mèdelam; quam nos certe non amplectemur, cum altera illa ut multo lenior ita etiam multo sit elegantior.

64,139

At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce, mihi non (codd. *nec*) *haec miserae sperare iubebas.*

Sic hi duo versus in omnibus codicibus scripti sunt; codex O et margo libri L praebent *blanda* pro *nobis* eamque scripturam Baehrensius et alii unice veram putant totum locum sic conformantes:

At non haec quondam blanda promissa dedisti
Voce mihi, non haec misera sperare iubebas.

Et facile sane perspicitur, quibus rationibus ducti illi sic iudicaverint. Primum enim sic adiectivum nanciscuntur ad apte definiendum substantivum *voce*, quod nostratium sensu sine epitheto nimis nude poni videatur. Tum pluralis *nobis* removetur, in quo quis haerere possit statim sequente singulari *mihi*. Denique si *nobis* scribitur, cum *mihi* ad ea quae sequuntur trahendum sit, verbum iubendi cum dativo coniunctum habemus; quam offensionem illi ita effugiunt, ut *blanda* scribentes *mihi* ad enuntiatum prius trahant et mutatione satis leni ex *miserae* efficiant *misera* vel *miseram*. Iam vero id, unde discrepantia *nobis* orta sit, explicare non possunt. Nam quod *nobis* errore pro *blanda* scriptum esse dicunt, id probabiliter profecto illi non dicunt. Quare nostrum erit accuratius inquirere in rationes illas, quibus scriptura *blanda* commendari videbatur.

In quo autem Baehrensium et ipsum vix haesisse puto, hoc est, quod pronominis primae personae numerus tam subito mutatur; cuius mutationis exempla cum apud ceteros scriptores tum apud Catullum non rara sunt. Prorsus com-

par exemplum in hoc ipso carmine 64 praesto est in v. 199.200:

Vos nolite pati nostrum *vanescere luctum,*
Sed quali solam Theseus me *mente reliquit.*

Praeterea haec e Catulli carminibus comparari possunt, quorum primum adeo audacius quam illud de quo agitur dictum videtur:

68,132

Lux mea *se* nostrum *contulit in gremium.*

116,5.6

Hunc video mihi *nunc frustra sumptum esse laborem,*
Gelli, nec nostras *hic valuisse preces.*

68,91.92

Quaene etiam nostro *letum miserabile fratri*
Attulit. Hei misero frater adempte mihi.

50,17.18

Ex quo perspiceres meum *dolorem.*
Nunc audax cave sis, precesque nostras.

Neque in his versibus carminis 107, qui sic in codicibus exarati sunt:

Quare hoc est gratum nobis *quoque, carius auro,*
Quod te restituis, Lesbia, mi *cupido,*
Restituis cupido atque insperanti ipsa refers te
Nobis. *O lucem candidiore nota.*

erat, cur in v. 1 *nobis* tangeretur aut in v. 3 interpungeretur post *te.* Denique in 42,4, ubi codices exhibent *vestra*:

Et negat mihi vestra reddituram
Pugillaria, — si pati potestis,

quamquam id aliquo modo explicari potest, tamen *nostra* scribere sine dubio praestat:

Et negat mihi nostra *reddituram*
Pugillaria.

Ex ceteris scriptoribus unum exemplum affero, quod non inutiliter comparabitur, Verg. Ecl. II 6.7:

O crudelis Alexi, nihil mea *carmina curas?*
Nil nostri *miserere? Mori* me *denique coges.*

Et confer de simili pronominum *vester* et *tuus* mutatione Schwabii quaest. C. p. 155 sq.

Altera causa, ob quam illud *blanda* scripturae *nobis* praefertur (cf. Baehrens. p. XXVII), erat, quod sic peraptum epitheton ad vocem *blanda* nanciscimur: *blanda voce promissa dedisti.* Sed ne haec quidem magni videtur facienda esse. Nam quamvis ex nostro iudicio desideretur forsitan adiectivum et displicere possit tale dicendi genus, quo dicitur *voce promissa dare*, tamen veteres aliter sensisse sat multa exempla docent:

Ennius ann. 45:

Exin compellare pater me voce videtur
His verbis: o gnata.

Tibullus II 1,83:

Vos celebrem cantate deum pecorique vocate
Voce: palam pecori, clam sibi quisque vocet.

Vergilius Aen. 9,403:

Suspiciens altam Lunam sic voce precatur.

id. ibid. 4,680:

His etiam struxi manibus patriosque vocavi
Voce deos.

id. ibid. 6,247:

Voce vocans Hecaten caeloque Ereboque potentem

id. ibid. 12,638:

Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem
Murranum.

id. ibid. 1,94:

Talia voce refert: o terque quaterque beati

id. ibid. 1,208:

Talia voce refert curisque ingentibus aeger.

His quoque locis ablativo *voce* ad sententiam elegantius efferendam nihil profici videtur et facile concesserim nostro iudicio eum aut adiectivo aliquo ornandum esse aut omnino abesse debere; sed censendum est veteres in hac re aliter sensisse neque temere ea in scriptorum veterum libros inferre licet, quae nobis placeant, sed accurate perquisito

veterum usu et consuetudine dicendi discendum est, quid illis placuerit. Quare ne hac quidem ratione, qua maxime, qui contra scripturam *nobis* pugnant, nituntur, quidquam effici posse apparet. Inde autem, quod vidimus nostro sensu desiderari posse epitheton ad substantivum *voce* pertinens, fortasse explicari potest origo discrepantiae inter *nobis* et *blanda*. Mero quidem errore ut *nobis* non ex *blanda* ita *blanda* non ex *nobis* oriri potuit. Sed fieri potest, ut vir aliquis haud stultus, cui item ut Baehrensio *voce* tam nude positum languere videbatur, pro *nobis* scripserit *blanda*. Et ne quis hoc audacius a nobis poni putet, respiciat locum, de quo modo egimus, 61,106; ibi ex scriptura *lentaque* mutatione non recta quidem sed libera et sententiae egregie conveniente effectum erat *lenta sed*. Atque ei, qui hanc coniecturam excogitavit, illud quoque opinor tribuere licet, ut pro *nobis* scripserit *blanda* mutatione et ipsa non recta, sed non minus libera, non minus sententiae conveniente. *Nobis* autem mutandum esse ille eo facilius sibi persuadere poterat, quod fortasse dativum *mihi* ad praecedentia trahenti videbatur iam non locus esse pronomini *nobis*.

Restat, ut de structura grammatica disseramus, qua poetam dixisse ponimus:

mihi non haec miserae sperare iubebas.

Atque priore quidem aetate verbi iubendi cum dativo coniuncti satis magna exemplorum copia viris doctis praesto erat. Nostris autem temporibus codicibus accuratius excussis iam plurimis eorum nihil probari apparet. Apud Livium XXXXII 28,1 egregia Bekkeri coniectura restitutum est *e republica visum erat*. In eiusdem scriptoris libro XXVII 24,3 haud dubium est, quin vera scriptura sit *iussi tribuni militum praefectique socium et centuriones*. Apud Caesarem de b. c. III 98 meliores codices non *iussit* sed *commendavit* exhibent. Item apud Ovidium met. VIII 752 codices inter *famulosque* et *famulisque* variant. Apud Livium XXVII 16,8 dativus *interroganti scribae* qui traditur non mutandus quidem est, sed explicationem suam habet. Iam loci, qui aliquid valere possunt, restant unus Ciceronianus et

complures Tacitei. In Ciceronis epistola ad Atticum data IX 13,2 traditur: *quamquam hae mihi litterae Dolabellae iubent ad pristinas cogitationes reverti*, sed editores consentiunt in edendo accusativo *me*. A Tacito iubendi verbum cum dativo coniungi inter omnes constat. Libere igitur profitendum est praeter unum illum locum Ciceronianum, qui a viris doctis corruptus habetur, nihil esse, ex quo verbum iubendi cum dativo coniunctum Catulli temporibus in usu fuisse colligi possit. Eum usum autem non omnino abhorrere ab ingenio linguae Latinae ex Tacito cognoscimus. Itaque haud scio an hominis cauti sit acquiescere in scriptura tradita:

At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce, mihi non haec miserae sperare iubebas.

Qui autem sibi persuadere non potest Catullum verbo iubendi ita usum esse, is locum sanare studeat, sed non ita ut reiecto *nobis* praeferat *blanda*. Id enim tenendum est nullo modo perspici posse, qua ratione *nobis* ex *blanda* ortum sit contra *blanda* videri esse commentum hominis haud stulti, qui ex eadem scriptura proficiscebatur, quae in libris DLG habetur.

64,273

Procedunt, leviter sonant plangore cachinni.

Plurimorum codicum scriptura *leviter sonant* contra metrum pugnat, non item id, quod in codice O et in margine libri L extat: *leviterque sonant*; quam scripturam nonnulli viri docti ut genuinam commendant. Tamen videtur reicienda esse. Illo enim loco quem Ellisius laudat ex Senecae Agam. 681:

Licet alcyones Ceyca suum
Fluctu leviter plangente sonent

nihil efficitur nisi illud, in adverbio *leviter* inesse posse notionem soni summissi. Hoc autem loco cum Catullus substantivum *plangore* posuerit, non expectamus adverbium, quod verbo sonandi adiciatur, sed adiectivum potius, quo substantivum *plangore* definiatur. Quare cum illud *leviterque* non sufficiat, viri docti iam pridem varias sed inter se similes

scripturas proposuerunt: *leni et resonant* Vossius, *lenique sonant* Lennepius, *leni resonant* librarius ut videtur codicis Cuiaciani. Quarum extrema prae ceteris eo videtur commendari, quod solent poetae praecipue in imaginibus copiose elatis sermonis continuationi medium aliquid ἀσυνδέτως interponere cf. Hauptii obs. crit. p. 33 (op. I p. 105.) Cat. 62,42. 53. 64,108. Verg. Aen. I 502. VII 380. X 358. 407. XII 333. 452. 717. 911. Qua in re si recte iudicavimus, codicis O illud *leviterque sonant* a correctore fictum esse apparet, qui versui numeros suos restituere studebat.

64,11

Illa rudem cursu p r i m a m imbuit Amphitritem.

Haec est scriptura librorum praeter O, a qua singuli in levibus quibusdam rebus discedunt: L in versu habet *Amphitrionem*, sed in margine adscriptum est *Amphitritem*; *rudiit*, quod in D exaratum est pro *imbuit*, mero errore librarii, qui modo *rudem* exaravisset, ortum est; praeterea D non *primam* sed *prima* exhibet. Et *prima*, quod facili errore accusativis *rudem* et *Amphitriten* adaequari poterat, a Lachmanno probatum est, qui versum ut alii ante eum sic scripsit:

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

Sed O habet in versu *praeram* (vel *praeeam*), in margine *proram*. Ellisius, qui primus eo usus est, a vulgata recessit et versum Catulli hunc fuisse putabat:

Illa rudem cursu proram imbuit Amphitrite.

Et pronominis *illa* vim temporalem esse dicens totam sententiam sic explicare studuit (in comm. p. 231): *tum fuit, ut Amphitrite cursu imbueret proram rudem.* Sed haec pronominis demonstrativi vis ex usu sermonis Latini nullo modo probari potest. Id Baehrensius quoque perspexit, qui scripturam ab Ellisio commendatam in textu posuit, in adnotatione autem *ipsa* pro *illa* scribendum esse suspicatur. Sed sive *illa* sive *ipsa* legitur, offensioni est, quod praeter Minervam Amphitrite Argonautas opera sua adiuvisse dicitur. Nam ex Graecorum fabula sola Minerva Argonautarum

fautrix fuit et valde dubito an probabiliter poni possit Catullum ex suo ingenio Amphitriten adiutricem addidisse. Poeta enim ipse Nereides navem Argonautarum ut monstrum inauditum admirantes infra in v. 15 inducit; Amphitrite autem ipsa est una Nereidum. Atque si hoc aliquo modo inde excusari possit, quod Amphitriten uxorem magni Neptuni poeta a ceteris Nereidibus seiunctam esse fingit, restat aliud. Qualis tandem ea opera est, qua Amphitrite Argonautas adiuvat? Navem eorum currere docet. Qua autem re Ellisius et Baehrensius poetam adductum esse putant, ut fingeret navem nuper aedificatam cursu imbuendam esse? Propterea, ut videtur, quod Argonautarum navis omnium prima fuisse fertur. Sed id nos ex Catulli versibus praecedentibus nondum didicimus neque omnino prima navis a Minerva constructa magis tali disciplina egebat quam quaelibet postea hominum manibus facta. Quis igitur has currere docet? Apparet, spero, sententiam, quae in scriptura ab Ellisio et Baehrensio probata inest, satis miram et inconcinnam esse. Iam consideremus scripturam Lachmannianam:

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

Amphitrite regina maris figura illa quam rhetores vocant metonymiam posita est pro ipso mari, ut haec sit sententia: illa prima mare rude cursu imbuit, hoc est: illa prima vecta est per maris undas, quae adhuc nullam navem vexerant. Similiter Valerius Flaccus dicit *imbuere terram vomere* I 69:

ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit.

Iam primum apparet Amphitriten sic non esse fautricem Argonautarum neque Catullum a fabula tradita deflexisse. Tum verbis planis dicitur id, quod in Baehrensii scriptura desiderabamus, Argo navem omnium navium primam fuisse; id autem hoc loco dici eo magis oportebat, quod in versibus sequentibus nymphae marinae monstrum inauditum admirantes inducuntur. Denique quod non spernendum est, planam et concinnam sententiam sic nanciscimur non mu-

tantes voculam *illa*, quae quamquam suspicione carebat Baehrensio mutanda erat. *Proram* autem putabimus ab eodem correctore, quem iam saepius in O deprehendimus, effectum esse ex corrupto *primam*; nominativus *Amphitrite* dubitari potest utrum ab eodem profectus an iam ante eum scribae describentis errore lineola super *e* omissa ex accusativo *Amphitriten* ortus sit.

64,15

Hunc versum sic a Catullo scriptum:

Aequoreae monstrum Nereides admirantes

codices praeter O recte exhibent; contra O habet in versu

Equore monstrum Nereides admirantes

et in margine adscriptum est *al monstrorum*. *Monstrorum* interpolatori tribuendum est, cum, quamquam verba sensu carent, tamen mutandi consilium ex numeris versus restitutis cognoscatur; de cuius generis interpolationibus egimus in priore parte ad 73,3. 4. cf. p. 5. Sed dubitari potest, an *monstrorum* ab eodem correctore profectum sit, quem 61,106 *lenta sed* et 64,139 *blanda* excogitavisse vidimus.

Dubitari potest, num huc pertineat etiam 57,7:

Uno in lectulo erudituli ambo.

Sic Lachmanni codices et G versum exhibent. De hiatu, qui neminem male habere debet, conferas L. Mueller. de r. m. p. 307 sq.; apud Catullum duo praeterea eiusdem generis extant, 97,1:

Non ita me dĭ ament, quicquam referre putavi

et 55,4:

Te in circo, tĕ in omnibus libellis.

Et poterat id quod O habet

Uno in lecticulo erudituli ambo

inde oriri, quod corrector hiatum removendum esse putaret. Non est igitur, cur *lectulo* corruptum esse dicamus. Neque vero eam scripturam veram esse certum est. Nam quamquam nomen *lecticulus* nusquam alibi occurrit, tamen dubium non est, quin secundum regulas sermonis Latini id formare licuerit; et notum est Catullum adamasse vocabula deminu-

tiva et multa in eo genere novasse. Potest igitur fieri, ut *lecticulo* verum sit, *lectulo* autem facili scribendi errore ortum. Neque auctoritas codicis O aut ceterorum librorum tanta est, ut inde dubitatio tolli possit.

Hi sunt loci, quibus prava correctoris opera in libro O deprenditur. Iam de aliis quibusdam disseremus, quibus scriptura illius codicis a nonnullis viris doctis genuina putatur, nostro autem iudicio meris scribendi erroribus orta est:

68,61

In codicibus versus multis modis corruptus est:

Duce viatori basso in sudore levamus,

unde Italorum commentis haec scriptura effecta est:

Dulce viatori lasso in sudore levamen,

quae usque ad nostram aetatem in editionibus vulgabatur. Baehrensius autem codicis O testimonio, qui a ceteris libris eo discrepat, quod *viatorum* exhibet, adductus hunc versum edidit:

Dulce viatorum crasso in sudore levamen.

Sed in Fleckeiseni ann. 117 (1878 p. 769) se decessisse ab hac versus forma profitetur et hunc in modum argumentatur: *bassus* linguae vulgaris adiectivum in glossis explicatum synonymis *pinguis, obesus* pro scriptura genuina errore in textum irrepsisse. Scribam autem codicis G cum in archetypo inveniret *viatorum basso in sudore* cumque videret *bassum sudorem* sensu carere, suo Marte ut sanaret mendum ex *viatorum* effecisse *viatori.* A vulgata autem hanc interpolationem *viatori basso* nova esse auctam *viatori lasso.* Quare proficiscendum esse ex scriptura *viatorum basso,* ex qua sibi efficiendum videri:

Dulce viatorum salso in sudore levamen.

Insimulat igitur librarium codicis G, quod pravam huic versui operam impenderit, cum ex archetypi scriptura *viatorum* efficeret *viatori.* Sed tamen testes adstant reo omnes carminum Catullianorum codices, qui testantur in archetypo exaratum fuisse:

Duce viator . . . basso in sudore levamus.

Dicitur igitur ille effecisse dativum *viatori*, qui non pendere posset nisi ex substantivo *levamen*, et tamen certo testimonio constat *levamen* eum omnino non legisse in libro suo. Quare insimulationi nulla prorsus fides haberi potest et nos, qui iudicis munere fungimur, reum absolvimus. — Errore igitur differentia illa orta esse debet inter *viatori* et *viatorum* neque adhuc satis constat, utrum scribendi errore ex altero ortum sit. Atque ipsum illud *salso* quod Baehrensius commendat parum placet neque eo firmatur, quod sudor alibi salsus appellatur. Expectamus enim adiectivum, quod ad rem de qua agitur aliquo modo pertineat sive ad *viator* sive ad *sudore* adiectum; *salsus* autem omnino languet. Tale adiectivum est *lassus*; atque id praeterea eo commendatur, quod propius quam illud *salsus* ad scripturam traditam accedit. *Lassus* autem cum non cum sudore coniungi possit, necessario scribendum est *viatori*.

66,50

Et qui principio sub terra quaerere venas
Instituit ac ferri stringere duritiem!

O exhibet *ferris fingere*, G et L *ferris fringere*, D *ferri frangere*. Sententia haec videtur esse: pereat quicunque primus ferri venas in terra quaerebat et ferrum repertum cudendo ita praeparabat, ut homines eo uti possent. Lachmannus aliique et ante eum et post eum *ferri frangere duritiem* verum putaverunt atque id ita opinor interpretati sunt, ut *frangere duritiem ferri* esset frangere vel vincere obstaculum, quod in duritie ferri cudenti obstat. Sed interest aliquid, utrum durities frangi dicatur an obstaculum illud quod in duritie inest; durities enim ferri non frangitur cudendo, sed remanet vel adeo augetur. Itaque non apte illud frangere dici videtur. Simplicissimum videri possit ex codicis O scriptura *ferris fingere* efficere *ferri fingere*. Atque Baehrensius aliique Catullum sic scripsisse arbitrantur et fortasse hoc alicui videatur etiam eo commendari, quod iam Vossius idem coniecit. Quam tamen scripturam quo-

minus probemus, illud obstat, quod verbum fingendi cum accusativo materiae quae formatur nusquam alibi extat. Putabimus igitur etiam illud *fingere* nihili pendendum esse, sed mero errore ex *fringere* ortum esse. Restat scriptura *ferris fringere duritiem*, ex qua in emendando proficiscamur. Ad eam proxime accedit et, si literarum ductus respicimus, magnam probabilitatem habet *ferri stringere duritiem*, quod Heysius, Schwabius, Ellisius scribunt. Sed quid hoc est *ferrum stringere*? Ellisius interpretatur *in stricturas cogere*, quod sententiae huius de quo agitur loci non satis aptum videtur. Tamen *stringere* non reiciendum esse puto, sed paullo aliter explicandum: *stringere* est *premere, comprimere*; et *ferrum stringere* inde videtur cudendi notionem nactum esse, quod ferrum dum cuditur in incude impositum mallei ictibus comprimitur et densatur.

64,102

Aut mortem oppeteret Theseus aut praemia laudis.

G et plerique codices exhibent *oppeteret*, idem leviter depravatum in Lachmanni libris extat (D *opetere*, L *oppere*), O praebet *appeteret*, quod iam antequam repertus est, nonnullis viris doctis aptius visum et nuper a Baehrensio aliisque commendatum est. Ab appetendi verbo non apte hoc loco pendet *mortem*; *appetere mortem* est mori cupere; iam autem sententia non ea est, ut Ariadne expalluisse dicatur, cum Theseus contra Minotaurum pugnare cupiens aut mori aut praemia laudis adipisci cuperet, sed cum Minotaurum occidere cupiens aut morti obviam iret aut praemia laudis adepturus esset. Id autem, quod nos desideramus, morti obviam ire, inest in pervulgata dictione *mortem oppetere*. Sane oppetendi verbum apte tantum de morte dicitur, *praemia laudis oppetere* non facile inveniatur, sed cum *mortem* et *praemia laudis* iuxta posita sint, in ea re haerendum non est, immo tale liberum genus dicendi, quo saepissime poetae et Graeci et Romani utuntur, indicium veritatis potius quam corruptelae esse debet.

65,1

Etsi me assiduo confectum cura dolore.

Confectum, quod Lachmanni libri et G exhibent, prorsus ex usu sermonis Latini hoc loco poni non est quod exemplis probetur. O praebet *defectum*, quod Baehrensius verum putat. Sed *defectus aliqua re* est is, qui aliquid desiderat, cui aliquid deest. Ea autem cum notione, quam hoc loco inesse oportet, ut sit idem atque *debilitatus* usque ad aetatem Augusteam nusquam extat. Mero igitur errore *defectum* pro genuino *confectum* exaratum videtur permutatis compendiis syllabarum *con* et *de*.

64,174

Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem.

Haec Lachmannus in textu posuit secutus codicem L, qui praebet *in Cretam*; D exhibet *in Creta*. E ceterorum librorum numero unus O cum D facit, reliqui cum L consentiunt. Editorum plerique *in Cretam* scripserunt, novissimi autem Baehrensius et Ellisius codicis O testimonio confisi *in Creta* ediderunt. Et sane utraque scriptura suam habet explicationem. Verbum religandi noto usu ita ponitur, ut idem sit quod alligare; in Creta funem religare est igitur in Creta navem ad terram alligare, ad Cretam appellere. Raro religare notionem resolvendi habet, sed ipse Catullus eo ita utitur 63,84:

Ait haec minax Cybebe religatque iuga manu.

Et religare funem *in Cretam* poterat Theseus dici, cum in eo esset, ut Athenis in Cretam proficisceretur. Atque haec constructio, quamquam utraque scriptura recte dici potest, ut paullo inusitatior est, ita aliquanto maiorem habet speciem veritatis. Praeterea sententia, quae inest in altera scriptura *in Creta*, hoc loco non satis apta est, cum eadem aliis verbis expressa iam in versibus praecedentibus habeatur:

Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent littora puppes.

Quare *in Cretam* Catullum scripsisse censemus, scripturam

autem codicum D et O *in Creta* natam esse neglecta lineola, qua litera *m* in fine verborum significari solet.

Sed haec sufficiant. Possumus enim de aliis locis haud paucis disserere, quibus editores novissimi novarum rerum studiosi e corruptis codicis O scripturis aliquid elicere studuerunt magna saepe ingenii contentione, nunquam felici successu. Qua in re illud imprimis neglexisse videntur, quod codex ille et legendi et scribendi erroribus variis oppletus et confertus est. Omisit enim librarius totos versus: 26,2. 64,330. 64,377—379; horum locorum tertio librarius aberravit ab altero versu intercalari ad alterum, quorum prior cur deleatur iusta causa non est; omisit verba 9,1 *e* 23,16 *abest* 64,69 *te* 133 *in* 176 *nostris* 66,34 *taurino*; omisit singulas verborum syllabas 62,12 *aspice* (*aspicite*) 66,65 *virgis* (*virginis*); perperam immutavit verborum ordinem 12,13 *nemo est sinum* 63,27 *mulier notha*; multa corrupit compendiis male intellectis 61,125 *domini* (*diu*) 64,372 *ante* (*animi*) 66,21 *vero* (*non*) 66,22 *factis* (*fratris*); varia denique alia scripsit, quae eius neglegentiam testentur 4,7 *insula vegeladas* (*insulasve Cycladas*) 17,23 *volo volo* (*eum volo*) 63,49 *magestatem* (*maestast*, ceteri codices exhibent *maiestas*) 66,69 *quicquam* (*quamquam*).

Sed possumus iam summam facere eorum quae adhuc disputavimus. Atque primum sex locos tractavimus, quibus Lachmanni libri aut ipsum verum aut vestigia veri non correctione infelici oblitterata praebent, scripturae autem libri O interpolatione ortae sunt neque a Baehrensio alisque viris doctis probari debebant; de septimo et octavo eiusdem generis (66,83 *colitis* 42,14 *potes*) iam in priore de G parte egimus; de nono (57,7 *lecticulo*) dubitari poterat. Tum de locis quibusdam ex eorum numero disseruimus, quibus cum Lachmanni libri et G verum exhibeant, Baehrensius et alii libro O plus quam par erat fidei tribuentes scripturam librarii neglegentia corruptam in textum receperunt. Denique paucis adumbravimus varia corruptelarum genera, quae in O permultae extant.

Iam restat, ut quid de fide et auctoritate huius libri iudicandum sit breviter indicemus. Librum O propter satis magnum numerum bonarum scripturarum inter optimos Catulli codices habendum esse et quamquam perpaucis locis eius causa a Lachmanni recensione recedendum sit, non neglegendum esse supra vidimus. Sed deprendimus in eo etiam correctiones falsas quidem sed non inelegantes, quibus Baehrensius se decipi passus est. Deprendimus corruptelas scribae neglegentia ortas, e quibus Baehrensius immerito profectus, sive eas defendere sive emendare studet, a vero aberravit. Summa igitur cautione opus est, ne nimiam codici O fidem habentes auctoritate eius in errores inducamur. Neque inutiliter in aestimanda huius libri auctoritate illud respici videtur, quod cum ex interpolationibus hominem paullo acriore ingenio praeditum in eo corrigendo operam navasse cognoscatur, cum probabilitate ponimus illum interdum etiam veram scripturam restituisse, ubi ceterorum codicum librarii falsam archetypi fideliter redderent. Et quamquam certi in ea re fines describi non possunt, tamen hoc apparet haud paucas scripturas ex earum numero, quas veras ex O contulimus, esse ita comparatas, ut facile ab illo indagari potuerint.

Postquam singulis capitibus de codicibus G et O, quibus Lachmannus usus non est, egimus, iam tertio capite disseremus de libris Lachmannianis. Qua in parte nostrum erit disquirere de horum codicum et origine et auctoritate. Atque Baehrensius cum omnes libros praeter O ex G fluxisse contendit, tum ne Lachmanni quidem libros excepit. Sed nos iam in prima parte et Bononiensem non ex G, sed propria ratione ex V derivatum esse demonstravimus et in universum quam infirmis argumentis illius sententia nitatur exposuimus. Itaque de codice L hic sufficiat unum locum attulisse idoneum, quo omnis dubitatio de eius codicis origine

removeri possit: is igitur in v. 100,2 exhibet idem vitium atque O: *treronensium*, cum in G recte *veronensum* scriptum sit. Qui mirus inter O et L consensus explicari non potest, si L ex G fluxisse ponimus; ponendum est *treronensium* in V extitisse atque inde tum in O tum in L pervenisse. Sed de D, qui liber a Lachmanno multo pluris quam L aestimatus est, a novissimo editore Baehrensio omnium Catulli librorum pessimus perhibetur, operae pretium erit accuratius disquirere. Et quamquam, ut ab omnibus concessum est, sic a nobis quoque conceditur ab interpolationibus eum liberum non esse, tamen neque a codice accuratius perlustrando hac re deterreri debemus, cum ne ceteros quidem libros omni librariorum opera immunes invenerimus, — et in O, quem optimum codicem nonnulli praedicant, sex offendimus interpolationes, quibus Lachmanni libri vacant — neque hinc iam efficitur prorsus nullius eum esse pretii; potest enim vel sic fieri, ut bona et genuina praebeat, quae a ceteris codicibus absint.

Atque quod D e codice G deductum esse credunt, id sane non quovis loco refutatur, quo in D verum extat, in G non. Nam siquidem librarius aut codicis D ipsius aut eius archetypi in textu emendando operam collocavit, fieri potest, ut interdum ei contigerit, ut de suo verum restitueret. Sed occurrunt loci, quibus videatur demonstrari posse non quaecumque bona in D leguntur, cum a G absint, a correctore restituta esse. Quorum locorum primus est 66,45, quo Catullus haec videtur scripsisse:

Cum Medi peperere novum mare cumque iuventus
Per medium classi barbara navit Athon.

In D recte legitur *cumque*, in G *atque*, ita ut is, qui codicem D ex G derivatum esse putat, ponere debeat Datani illud *cumque* a correctore restitutum esse. Iam supra (p. 15) negavimus hoc fieri potuisse, nunc videamus, quam probabiliter hoc a nonnullis statuatur. Corrector ille nil efficere studuit nisi illud ut hiatum, qui est post vocem *mare*, removeret; priorem autem partem versus ille omnino non

respexit. Neque tamen haec versus pars omni corruptela vacabat, sed laborabat antiquo mendo: *propere* pro *peperere* iam in V scriptum fuisse ex codicum consensu colligimus. Et falsum hoc *propere* sine dubio etiam in suo codice legebat; ille igitur neque versum recte scandere potuit neque omnino sententiam intellexit, sed tamen divina qua erat animi sagacitate *cumque* illud recte pro *atque* reposuit. Vides, quanta probabilitate hoc loco correctoris manum agnoscamus. — Quare cum de correctione hic cogitari non possit, e codice G, in quo *atque* exaratum est, D non videtur derivatus esse, sed ex ipso V illud *cumque* in D transiisse ponendum est. Nam ex O aut ex B, quorum ille *cumque*, hic *atque al. cumque* praebet, eum fluxisse nemo statuet, qui naturam horum codicum noverit. Efficitur autem, ut iam supra (p. 15) vidimus, ex collatis scripturis librorum GOB in archetypo V hanc duplicem scripturam extitisse $\overset{\textit{cumque}}{\textit{atque}}$. Atque hinc quod ipsum illud *cumque* in V exaratum fuisse scimus, multo probabilius fit scripturam libri D e V in D pervenisse, non a correctore repositam esse.

68,119

Nam neque tam carum confecto aetate parenti
Una caput seri nata nepotis alit.

In D recte scriptum est *nec tam*, in G, ex quo Datanum derivatum esse dicunt *nec causa*. Et quo errore haec duo verba permutari potuerint, iam diu explicatum est cf. Schwabe, ed. praef. p. XXV. Illud *tam* a librario e coniectura repositum esse prorsus incredibile est; quare veram scripturam e V in D transiisse putandum est. Quae sententia rursus valde eo confirmatur, quod in V duplicem scripturam $\overset{\textit{tam}}{\textit{causa}}$ extitisse e collatis librorum testimoniis cognoscimus: habet enim O *tam*, B in textu *causa*, in margine *al neque tam* (cf. p. 15). Idem igitur ex hoc loco atque ex priore illo 66,45 consequens fit, D non e codice G derivatum esse.

97,3

Hunc versum iam supra (p. 33) sic scribendum esse probavimus:

Nilo mundius hoc, nihiloque immundior ille.

In D versus ita exaratus est:

Nihilo mundior hoc nihilo immundior illo,

et Schwabio teste a secunda manu ante vocem *immundior* additum est verbum *est.* Sed haec neque addito illo verbo neque omisso sententiam praebent eamque ob causam a correctore orta esse non possunt. Sed cum D derivatus videatur ex codice qui correctoris manum passus erat, facile oritur suspicio, ne Datani librarius archetypi sui scripturam a correctore illo effectam pessumdederit; ea haud dubie haec fuit:

Nilo mundior hic (sc. culus), *niloque immundior illo* (sc. ore).

Atque in hac verba *immundior illo* censori deberi apparet; sed difficile diiudicatur, utrum *nihiloque*, pro quo G cum ceteris plerisque perperam *nobisque* exhibet, coniectura ab eodem indagatum sit an e bono fonte fluxerit. *Nihiloque* pro *nobisque* coniectura inventum esse ei ponent, qui D ex G derivatum esse volunt. Id fieri potuisse non praefracte negaverim neque vero libenter posuerim factum esse. Et si codicis O testimonium respicimus, ex quo *nihiloque* in V fuisse constat, si duos illos locos respicimus, de quibus modo egimus, probabilius videbitur etiam hoc loco genuinam scripturam ex V in D transiisse.

Eadem est ratio aliorum quorundam locorum, quibus cum O et D in vera scriptura consentiant, G contra cum ceteris plerisque corruptam praebeat, quaeritur, utrum Datani scriptura correctori debeatur an ex archetypo V fluxerit. Sunt eius generis hi:

80,6

Grandia te medii tenta vorare viri.

O *tn̄ta* D *tenta* GL *tanta*

76,26

O di, reddite mi hoc pro pietate mea.

i

O *propetate* D *pro pietate* GL *proprietate*

61,200 (193)

Perge, ne remorare

ODL *remorare* G *rememorare*

64,291

Flammati Phaethontis et aeria cupressu

O *flamati* D *flammati* GL *flamanti*

68,2

Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium

OD *mittis* GL *mittit*

64,377

Hesterno collum poterit circumdare filo

O *esterno* D *hesterno* GL *externo*

Unus inter hos est locus, quo verum facile inveniri potuisse concedimus: 61,200 *remorare* pro *rememorare* restituere non magni negotii erat, praesertim cum *remoratus es* in versu sequente aperte ad hunc versum respiceret. Etiam 68,2 *mittis* pro *mittit* scribendum esse attentum librarium fugere vix poterat. Sed cetera non tam facilia erant ad inveniendum, ut sine dubitatione correctori tribui possint; *tenta* autem, quod ea notione qua 80,6 ponitur nusquam alibi extat, correctori deberi confidenter negaverim.

Et sunt praeterea loci, quibus solus D veram scripturam servavit eaque non videtur a correctore profecta esse:

66,83

Vester onyx, casto petitis quae iura cubili

D *petitis* GO *colitis* L *quaeritis*

De hoc versu iam in prima particula disputavimus et Datani scripturam veram esse demonstrare studuimus.

88,2

Prurit et abiectis pervigilat tunicis.

In D extat *prurit*, in G et ceteris plerisque *proruit* et ipsum hoc *proruit* Schwabius putabat in V extitisse. Sed

postquam codicem O cognovimus, simpliciter *proruit* in V exaratum fuisse negandum est. In O enim legitur *ꝓrurit* (i. e. *prorurit*). Atque Baehrensius ipsum hoc *prorurit*
ru
ortum ex *prorit* in V fuisse censet et priscam huius verbi formam videtur sibi indagasse *prorit*; quae tamen, quamquam ab illo confidenter in *textu* posita est, omni probabilitate caret; nam neque alio ullo testimonio ea firmatur et origo illius *prorurit* vel *proruit* videtur alia atque Baehrensius ponit fuisse; permutatis enim *p* et *ꝓ* (i. e. *pro*) ortum est *prorurit*, pro eo aliquis ut verbum Latinum efficeret, *proruit* scripsit. Iam autem veram Datani scripturam a correctore ex corrupta Germanensis restitutam esse, quod illis statuendum est, qui D ex G fluxisse putant, credibile non est; verbum enim pruriendi non ita usitatum est, ut quis facile in id incidere potuerit; habetur quidem etiam praeter hunc locum semel (16,9) apud Catullum, ibi autem alia vi ac notione dictum est atque eo de quo nos agimus loco. Quare putabimus *prurit* in D ex V transiisse, ibi autem aliquid scriptum fuisse, quod et *prurit* et *prorurit* et *proruit* legi poterat.

62,12

Aspicite, innuptae secum ut medit a t a r e q u i r u n t.

Haec recte in Thuaneo habentur; codicum qui e V derivati sunt plerique praebent haec:

Aspicite innuptaeque secum ut meditare quaerunt,

quibuscum D consentit, nisi quod in fine exhibet *meditata requaerunt.* Atque primum quo errore illud *que* in voce *innuptaeque* ortum sit, ex codicis O scriptura *innupte q̄rūt* apparet. Hanc scripturam in V fuisse ponendum est, cuius scriba verbum *quaerunt*, quod in fine versus exarandum erat, errore transposuit ante *secum*; sed post errore perspecto expunxit et suo loco exaravit; librarii autem qui V describebant syllabam *que* per errorem servaverunt. Neque minus facile perspicitur, quomodo *meditare quaerunt* ortum sit ex genuina scriptura *meditata requirunt.* In voce *meditata* libra-

rius alteram syllabam *ta* neglexit et primam syllabam vocis *requirunt* verbo praecedenti affixit, quo facto pro *quirunt* scriptum est *quaerunt*. Ex hac autem scriptura *meditare quaerunt*, quae in G habetur, verum indagare difficilius erat quam ut hoc in D coniectura ortum esse credibile videatur. Poeta enim hoc loco verbum requirendi non usitato posuit sensu, sed ita ut sit aliquid revocare sibi in memoriam. Neque Italis contigit, ut genuinam scripturam restituerent: illi enim scripserunt *meditamina quaerunt*. Quod autem gravissimum est, corruptum illud *innuptaeque* a nullo contactum correctore etiam D exhibet; unde apparet neque sententiam versiculi a codicum librariis perspectam esse neque exitum corruptum ab eis sanari potuisse. Itaque etiam hoc loco persuasum habemus veram scripturam in V fuisse et ex hoc libro in D pervenisse. At etiam corruptum illud *meditare quaerunt* in V fuisse supra vidimus. Res sic explicanda est: cum veri simile sit librum V a librario collatum esse cum alio codice, non sine probabilitate videmur statuere ab hoc librario scripturam *meditare quaerunt* correctam esse: quam correctionem is, qui archetypum Datani ex V describebat, recte intellexit, ceteri librarii aut non intellexerunt aut omnino neglexerunt.

Carminis 65 versus nonus abest a G et O et plerisque libris. In D et in Parisino 7989 (P^1 apud Schwabium) haec habentur:

Alloquar audiero nunquam tua   loquentem.

Eadem sine lacuna extant in Ellisianorum uno (c). In reliquis libris, qui hunc versum exhibent (cf. ann. crit. Ellis.), lacuna illa vario modo expleta est *tua verba loquentem* vel *tua fata l.* Viri docti alii interpolatum versiculum putant, alii ab ipso Catullo profectum. Quorum e numero copiosius de hoc versu egit Schwabius, qui quamquam vv. 9—14 ex hoc carmine removendos esse et transponendos in c. 101 iniuria Haasio concessit, tamen de versu nono ipso recte videtur iudicasse. Is enim in quaest. C. p. 277 haec de eo scribit: *versus nonus (adloquar) in bonis quibusdam*

libris omissus quin a Catullo profectus sit et propter illud futurum exactum audiero sensu subtiliori positum quam quem interpolator quidam repperisset, et propter lacunam versus huius in Datano et Parisino priore extantem in aliisque libris vario modo expletam dubitari non potest. Atque haec altera ratio, ut prius de hac disseram, non recte videatur prorsus spernenda esse. Potuit quidem, sive a Catullo sive ab interpolatore versus ille profectus est, fieri, ut librarius vocem aliquam spatio relicto omitteret, quod in eo libro, ex quo describebat, neglegentius scripta esset, quam ut facile legi posset. Sed paullo probabilius est vocem tali modo obliteratam in codice vetusto et integro quam in versu recens ab interpolatore adscripto extitisse. Accedit usus futuri exacti *audiero.* Utuntur enim Latini hoc tempore saepicule ibi, ubi nos simplex futurum adhibemus, (cf. Madvig. op. prior. p. 97) plerumque ita, ut indicetur actionem aliquam haud dubie nullaque mora interposita factum iri, veluti Cic. ad Att. III 19,1: *nusquam facilius hanc miserrimam vitam vel sustentabo vel, quod multo est melius, abiecero*, ad Att. V 1,3: *tu invita mulieres, ego accivero pueros*, pro Planc. 33,79: *multo citius meam salutem pro te abiecero quam Cn. Plancii salutem tradidero contentioni tuae*, de rep. I 13,20: *nihil est adhuc disputatum et, quoniam est integrum, libenter tibi ut de eo disseras equidem concessero*; interdum autem etiam ita, ut quam ob rem futurum exactum simplici futuro praelatum sit, non dispiciatur, praesertim cum in eodem enuntiato nulla causa perspicua ab uno ad alterum transitus fiat, Prop. II 5,21.22:

Nec tibi periuro scindam de corpore vestem,
Nec mea praeclusas fregerit ira fores.

Verg. Aen. IX 297.298:

Namque erit ista mihi genetrix nomenque Creusae
Solum defuerit.

Tantum igitur abest, ut cum Baehrensio (p. XXVIII) in temporum illa mutatione haerentes versum interpolatori tribuendum censeamus, ut in ea proprietatem quandam ser-

monis Latini agnoscamus, quam ab interpolatore repertam esse credibile non est. Denique quod a Schwabio animadversum non est, sententia versiculi prorsus Catulliana est; similiter enim poeta ad Verannium amicum ex Hispania reversum scribit 9,6.7:

Visam te incolumem audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes.

Atque nostro loco sententiam similem quidem, sed prorsus aliter enuntiatam habemus, ut ne id quidem suspicari liceat, interpolatorem quendam versibus illis ad Verannium scriptis usum esse. Offensioni autem in hoc versu:

Alloquar audiero numquam tua facta loquentem

debet esse contortum genus dicendi; nam neque *numquam* apte ad utrumque verbum et *alloquar* et *audiero* refertur neque *loquentem* obiectum esse potest verbi *alloquar*, quod tamen suo obiecto caret. Atque hoc Baehrensius significare videtur p. XXVIII, ubi verba illa non bene copulari ἀσυνδέτως monet. Inde autem sequitur, non quod ille vult, versum ab interpolatore profectum esse — nam ne is quidem opinor tam contorte scripsisset — sed ante versum illum unum saltem distichon intercidisse. Atque Lachmannus tria inseruit ex 68,20—24 et 92—96, ut staret paginarum illa quam instituit computatio. De qua pluribus hic disserere nolumus, nobis id tantum respiciendum videtur, quomodo enuntiatum illud expleverit, cuius unum verbum finitum *alloquar* servatum est. Quod quam apte atque venuste ille fecerit, ut appareat, adscribam verba:

Numquam ego te, misero frater adempte mihi,
Alloquar, audiero numquam tua facta loquentem,
Numquam ego te, vita frater amabilior,
Aspiciam posthac.

A Catullo igitur versum illum profectum esse obtinemus; quod si recte facimus, apparet D non ex G sed propria ratione ex V fluxisse. Illud unum videtur explicatione egere, quomodo factum sit, ut in solis his libris DP¹aAcd Ambr. D. 24 Vic. Ricc. hic versus extet, a reliquis absit. Qua

de re Schwabius in editione p. VI ann. 20 haec: *credo autem versum hunc in codice veronensi paene oblitteratum fuisse — sumendum est duo minimum scribas ex veronensi codice librum Catulli descripsisse, quorum alter reliquias versus illius tenues neglegeret, alter fideliter servaret.* At nos non bis tantum, sed quater minimum codicem V descriptum esse vidimus. Nam praeter duo illa apographa, quae propter libros G et O sumenda sunt, tertium ponere debemus, ex quo derivati sunt liber B et ei qui cum B plerumque consentiunt, quartum denique illud erit, ex quo codex D descriptus est. Ponendum igitur est a tribus librariis qui V describebant omissum esse versum illum, ab uno non omissum. Atque concedendum est hinc aliquem cum probabilitatis quadam specie argumentum petere posse, quo nisus de versus illius integritate dubitet. Et eadem cum specie omnem codici D auctoritatem denegare poterit. Haec vero dubitatio profecto non tantum valet, ut ea quae adhuc cum de codice D tum de hoc versu disseruimus irrita fiant. Sed audacter credemus versum illum in V, fortasse in margine, adscriptum fuisse et a plerisque librariis neglectum, ab uno fideliter exaratum esse.

97,5

Hoc loco ipse Lachmannus iniuria Datani scripturam suspectam videtur habuisse; scribit ille versum sic:

Nam sine dentibus est. Hic dentis sesquipedalis.

Libri plerique exhibent *dentis seseque dedalis*, D *dentis hos sexquipedalis*, quocum et Ricc. et a faciunt, nisi quod in Ricc. *os*, in a *os esque pedalis* scriptum est. Editores post Lachmanni aetatem omnes retinuerunt vocem *os*; et iure hoc videntur fecisse: oppositionis causa enim ea requiritur. Sed alii alio loco eam posuerunt, Froehlichius Heysius Schwabius Baehrensius versum sic scribunt:

Nam sine dentibus est. Os dentis sesquipedalis.

Atque duae causae videntur cogitari posse, quibus commoti sic scribendum esse censeant: aut enim putaverunt substantivum *os* per errorem mutatum esse in vocem *hic* —

ponunt enim eodem loco illud *os*, ex quo pronomen *hic* eiciunt — et postea illud *os*, quod in D a Ricc. extat, ab interpolatore additum esse; aut quia in voce *os* aliqua vis posita est, ob eam causam primo enuntiati loco ponendam esse censuerunt. Sed illud quod prius posui, *hic* ex voce *os* ortum esse, non magnam habet probabilitatem; neque altera causa eiusmodi est, ut multum ei tribuam. Immo apte praemisso nomine *dentis*, quod non premendum est, haec duo *os* et *sesquipedalis*, in quibus tota oppositio continetur, iuxta poni videntur. Et est quo praeterea hic ordo defendatur. Nam si eadem vox in eodem versu bis habetur, elegantiam quandam poetae capessunt, verborum ordinem sic instituentes, ut vocis illius syllabae diversae ictibus versus icantur cf. Prop. em. Lachmannus Lips. 1816 p. 111 sq. Mihi igitur is ordo servandus videtur, quem in D a Ricc. habemus, *dentis os sesquipedalis*. Iam quaeritur, utrum *os* in his libris correctione ortum sit an traditum. Et ut concedamus non magni fuisse negotii divinando id reperire, tamen verborum ordo elegans et verba constructione grammatica coniuncta disiungens id videtur indicare vocem illam non a correctore additam esse. Quid de priore versus parte iudicandum sit, utrum praestet eicere vocem *est* an *hic*, nihil facit ad rem nostram. Mihi tamen probabilius videtur *est* eicere, totum igitur versum sic scribere:

Nam sine dentibus hic. Dentis os sesquipedalis.

Nam *est* et facilius quam *hic* addi poterat et in praecedentibus versibus a poeta omissum est.

Quodsi probabilem in modum de his locis disseruimus, quibus a G vera scriptura abest, in D extat neque tamen correctori deberi videtur, illud iam hinc effectum est D non ex G sed sua via ex V derivatum esse.

Idem autem etiam aliis quibusdam locis colligitur ex collatis codicum scripturis:

In versu enim 65,14:

Daulias absumpti fata gemens Ityli

vox *Daulias* varie in codicibus corrupta est. Incipiamus a

componendis scripturis librorum G et O et ACL et BLa^{1}V (Vatican.); singulas enim tum codicum ACL tum BLa^{1}V esse familias scimus, cf. Ellis. ed. 1878 p. LI sq.:

	Baula[*s*] G
	Bauilla O
Baula AC *Baiulas* L	} *Baula^{s}* arch. ACL
Dauilas BLa^{1} *Baulas* V (*Bauilas* m. B)	} *Baulas* (D superscr.) arch. BLa^{1}V

Hinc in archetypo Veronensi exaratum fuisse sequitur aut *Baula^{s}* (D superscr.) aut *Baula* (*Daulas* superscr.); litteram *D* enim iam in archetypo fuisse ponendum est, nam in BLa^{1} a correctore orta esse non potest, cum *Dauilas* et ipsum nihil sit. Idem de codice Datano valet, qui *Daunias* exhibet; unde apparet ex G, a quo illud *D* abest, eum non esse derivatum (cf. ephem. liter. Ien. 1878 p. 210).

Atque idem eadem ratione demonstrari potest ex v. 65,16, ubi nomen *Battiadae* variis depravatum mendis in codicibus extat: G exhibet *acciade,* O *actiade,* B *bactiade,* D *abactiade* (*ct* vel *tt*).

Neque minus hoc loco de origine codicis D aliquid concludi potest, quo ordo verborum in aliis codicibus alius occurrit, 77,9 (78b,3):

Verum id non impune feres: nam te omnia saecla.

Hunc verborum ordinem exhibet O, G *verum non id.* Quo ex dissensu colligitur illud *id* in libro V non in versu ipso sed aut inter versus aut in margine exaratum fuisse. Quid autem Datanus? Ille nec cum G nec cum O congruit, sed *id verum non* exhibet. Is ordo bonam explicationem habet, si D non ex G sed alio codicis V apographo derivatum esse ponimus; mirum sane casum haberemus, si D ex G fluxisset.

Neque minus grave argumentum quam, quod his locis continetur, videntur praebere priscae verborum formae, quae

in D habentur. Quarum e numero primum eas afferam, quae et in D et in O leguntur, cum in G non extent:

Primus locus est in carmine 1, cuius in fine Catullus optare se profitetur, ut carminum suorum libellus

Plus uno maneat peremne saeclo.

Peremne ibi in V scriptum fuisse pro certo affirmare licet propterea quod in O extat *periẽ* i. e. *perimne.* In D autem *peremne* non nisi ex V transire poterat, nam G habet *perenne.*

35,18

Magna Caecilio incohata mater.

Veteres usos esse hac forma *incohata* scimus et ex Gellii testimonio (II,3) et ex antiquis scriptorum Romanorum codicibus. In V eam exaratam fuisse colligitur ex testimonio codicis O. Praeterea in v. 13 huius carminis corruptum illud *indotatam* sine dubio ortum est ex scriptura *incohatam*, non *inchoatam.* Quare etiam in D *incohata* ex V transiisse putabimus, non casu ortum esse ex codicis G scriptura *inchoata.*

Idem iudicandum videtur de eis locis, quibus in D habetur *posquam*, et G et ceteris codicibus *postquam*: 11,23. 64,303.84,11. Illud enim in hac re neglegendum non est, quod in O *post* interdum compendio adhibito sic *p̃* scriptum est: 64,303,396.67,6 *postquam*, 84,9 *postilla*, 64,278,322. 66,80 *post.* Quod compendium cum pro *us* poni soleat, cf. Baehr. ann. crit. ad 64,11, illud *p̃* non *post* sed *pos* explicandum est et ponendum est hoc ipsum in V exaratum fuisse atque ex hoc tum in O tum in D transcriptum esse. G enim ubique *postquam* et similia exhibet. Videtur autem ut hoc addam compendium quod in O extat idem esse atque illud, quod in codicibus Plautinis habemus ⁓ in *p'*, cf. Ritschl. opusc. (II 549), nisi quod ab aliis librariis paullo aliter formatum est.

Denique 64,326 D cum eis libris facit qui *secuntur* exhibent BLa'O, cum in G et ceteris exaratum sit *sequuntur*, cf. v. 63,34.

Baehrensii autem sententia, qui tales scripturas in D restitutas esse censet a librario, qui maiore antiquitatis specie librum suum afficere vellet, cum per se iam dubitationi obnoxia esse debet, tum propterea quod eaedem scripturae eisdem locis et in D et in O extant, prorsus repudianda est. Quare pro certo affirmare licet has de quibus adhuc egimus formas in ipso V exaratas fuisse et inde in D transiisse.

Quo fundamento nisi iam fortius progrediemur et eas quoque formas priscas, quae in solo D, non in O habentur, ad librum V referemus:

55,2

Demostres, ubi sint tuae tenebrae.

Demostres habent D et alter Laurentianus (La² apud Ellisium), *demostret* a, ceteri usitatum *demonstres* exhibent; cf. Fleckeisenum in Iahnii ann. LX p. 261.

Ibidem p. 255 idem vir doctus agit de scriptura *cassa*, quam D 6,10 habet:

Attritus tremulique cassa lecti.

In codice a *cassa* corruptum est in *casa*, in ceteris *quassa* scriptum est.

23,8

Pulcre conquoquitis, nihil timetis.

Conquoquitis habet D, *concoquitis* ceteri; cf. Lucr. VI 858.

61,127 (120)

Fascennina locutio

In G et in plerisque libris extat *fescennina*, in D *fascennina* et idem vel simile aliquid in B et aliis quibusdam habetur. Explicari potest haec scriptura inde, quod veteres hoc adiectivum a voce *fascinus* derivabant. Quae derivatio iam Festo nota erat, ex quo Paulus p. 85 haec excerpsit: *fescennini versus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Fescennina dicuntur allati sive ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere.* Itaque scriptura illa non videtur simplici errore orta sed antiquitus tradita esse. Sed quidquid de eius origine iudi-

catur, certe ex eodem fonte eam in diversos illos libros pervenisse putabimus. Iam autem *fascennina* in B habetur, latet haud dubie sub codicis O *foscennina*, utrumque codicem scimus non ex G fluxisse, ipse G *fescennina* exhibet: quid igitur restat quam ut *fascennina* sive mavis *f*$\overset{e}{\underset{\cdot}{a}}$*scennina* in V scriptum fuisse atque ex hoc in D derivatum esse ponamus?

Denique huc refero libri D scripturam ***anatunsia*** 68,51. Prorsus enim eiusdem generis est codicis O *ranūsia* 66,71, ubi Baehrensius *Rhamnunsia* in textu posuit; cf. ea quae Ritschelius congessit proll. ad Trin. p. 103.

Reliqua autem quae insunt in D antiquioris scripturae vestigia quaeque Ellisius p. XXX diligenter composuit, partim in hac quaestione nihil valent, quia etiam in G extant, partim ita sunt comparata, ut mero errori tribui possint. Quare haec quae adhuc de scripturis priscis protulimus sufficiant.

Iam cum fidem libro D denegari non posse probaverimus, illud disquirendum est, num usquam Lachmannus nimium vel parum fidei ei tribuerit. Uno loco, de quo supra iam egimus p. 60, iniuria eum Datani scripturam reiecisse vidimus; 97,5 enim scribendum videbatur: *dentis os sesquipedalis*. Saepe sane vituperatus est, quod nimiam ei fidem habuerit. Atque Baehrensius, qui p. XXVII sq. de Datani interpolationibus loquitur, quattuor locorum mentionem facit, quibus interpolatoris operam illustret. Quorum e numero duobus certe, 68,46 et 95,9, nec Lachmannus neque vero quisquam doctus nostrae aetatis Datani scripturam tuitus est. De tertio autem loco 65,9, quo Baehrensius interpolatoris operam agnoscit, iam supra disputavimus et Lachmannum recte Datani scripturam ut veram et genuinam in textu posuisse invenimus. De quarto pauca dicenda sunt. Lachmannus enim poetam Veronensem *Quinti* praenomine praeditum fuisse ratus *Q. Valerii Catulli Veronensis liber* editionem suam inscribendam curavit. Quod quamquam ille fecit non Datani solius testimonio commotus sed etiam Plinii

codicibus fisus, tamen concedendum est iniuria eum his testibus fidem habuisse. Nam post Schwabii de nominibus Catulli disputationem (quaest. C. p. 8 sq.), dubium non est, quin illud *Quintus*, quod XXXVII 6,81 in nonnullis Plinii codicibus extat — ab aliis enim illud praenomen abest — errore ortum sit et ex his idem praenomen ab Italis libri D inscriptioni additum. Inde simul sequitur coniecturam *Quinte*, quam Lachmannus 67,12 commendavit, probari non posse. Sed haec res non ad D solum pertinet, et dubitare licet, num Lachmannus, si unius D testimonio praenomen illud traditum fuisset, Datano soli hac in re fidem habiturus fuerit.

Neque tamen negari potest in ipso carminum textu Lachmannum locis nonnullis Datani scriptura confisum a vero aberrasse. De quibus iam disserentes plerisque correctorem deprehendemus.

1,8—10

Quare habe tibi quidquid hoc libelli
Qualecumque quod patrona virgo
Plus uno maneat perenne saeclo.

Primum horum versuum, in quo ex codicum scriptura *tibi habe* metrum turbatum est, Itali transpositis his verbis sanaverunt. In altero D non *quod* sed *quidem* exhibet, idem in altero Laurentiano a secunda manu restitutum est. Lachmannus recepta Datani scriptura duos versus intercidisse ob computationem suam archetypi paginarum posuit ad hunc modum:

Quare habe tibi quicquid hoc libelli

Qualecunque quidem
patrona virgo,
Plus uno maneat perenne saeclo.

Sed computatio illa etiam tum stare poterit, si nullus hoc loco defectus statuitur. Lachmannus enim inscriptioni totius libri unum tantum tribuit versum, cum tamen quominus tres ei daret nihil obstaret. Neque in verbis ipsis aliquid inest, ob quod defectum suspicari liceat. Nam *qualecumque*

in alterius versus initio nulla particula cum illo *quicquid* iunctum offendere non poterit eum qui contulerit Prop. I 4,23.24:

Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis, ubique, lapis.

Atque Datani scripturam *quidem*, quae metro satis facit, sensum non praebet, cum illa altera *quod* numeris careat, ad sententiam apte congruat cum sequentibus *plus uno maneat perenne saeclo*, a correctore metrico fictam esse non improbabiliter aliquis suspicetur. Quare ex scriptura *quod* ei proficiscendum erit, qui hunc locum sanare suscipiet. Neque est, cur de ipso illo *quod* dubitetur; versum autem, quem una deficit syllaba, Itali particula *o* inserta explere studuerunt:

quod, o patrona virgo,
Plus uno maneat perenne saeclo.

Quae medela satis facilis quamvis haud paucis sicut nobis valde arriserit, tamen restat dubitatio, an veram poetae manum assequatur. Quae enim est illa, quam poeta invocat, *patrona virgo*? Vix dubium videtur, quin aliam atque musam hoc loco sic appellare non potuerit; et tamen appellatio illa non dilucide nobis significat, sed potius nobis divinandum committit, quam ille *patronam virginem* invocet. Hic vero scrupulus talis est, ut corruptelam latere suspicari potius quam affirmare liceat. Quare nos de virorum doctorum coniecturis disserere aut unam aliquam earum commendare supersedemus.

99,8

Guttis abstersi omnibus articulis.

Abstersi in omnibus libris exaratum est praeter O, qui unus *abstersti* praebet; D et Ricc. et a inverso ordine *abstersi guttis* exhibent. Iam si scripturam *abstersi* respicimus, illud verisimile videtur breviorem formam *abstersti* a Catullo scriptam esse; *abstersisti*, quod Baehrensius verum putat, minus probabile est. Solent enim librarii usitatiores formas potius reponere pro minus usitatis quam vice versa.

Quod si verum est, scribere licet aut *guttis abstersti* aut *abstersti guttis*. Quorum utrum eligamus, pendet ex eo, quid iudicemus de hiatu: utrum Catullum eum in caesuram pentametri admisisse censeamus necne. Pertinet autem haec de hiatu quaestio non solum ad hunc locum, sed etiam ad quinque alios, quorum uno itidem codices inter se dissentiunt. Est is versus 10 carminis 76:

Quare cur te iam amplius excrucies?

Sic enim in O et G et plerisque codicibus scriptum est. Datanus cum asseclis suis rursus alium verborum ordinem exhibet, quo hiatus evitatur:

Quare iam te cur amplius excrucies.

Ceteri quattuor loci sunt 66,48. 68,158. 97,2. 67,44:

Iuppiter, ut Chalybum omne genus pereat.
A quo sunt primo omnia nata bono.
Utrum os an culum olfacerem Aemilio.
Speret nec linguam esse nec auriculam.

Quorum tamen e numero quartus removendus est, quod grammaticae regulis et sententiae ratione coniunctivus imperfecti postulatur; quo restituto iam hiatui locus non est:

Speraret nec linguam esse nec auriculam.

Sed etiam ceteris tribus locis, quamquam omni offensione carent, editores praeter Heysium et Ellisium omnes hiatum removerunt:

Iuppiter, ut Chalybon omne genus pereat.
A quo sunt primo mi omnia nata bono.
Utrumne os an culum olfacerem Aemilio.

Videtur illos movisse, quod haec quae apud Catullum extant exempla unica sunt hiatus in caesuram pentametri admissi eaque omnia facili opera removeri possunt. Sed cum de hiatu post syllabam longa vocali aut consona *m* terminatam in arsin hexametri admisso non dubitetur — eidem scilicet editores, veluti Hauptius et L. Mueller, quem ex pentametris Catullianis expulerunt, in hexametros apud Catullum (66,11. 107,1), Tibullum (I 5,33), Propertium (III 15,1. III 32,45. IV 7,49) admiserunt — non est sane, cur eum in caesuram

pentamentri admissum esse negemus, etsi pauciora exempla eaque omnia apud unum Catullum extant. Nam quod facili negotio removeri potest, id profecto non argumenti loco habere licet. Praeterea uno tantum loco 97,2 concedi potest sine omni offensione pro *utrum* scribi *utrumne*; *mi* 68,158 ab Hauptio insertum sententia non requiritur, elisione illa quae est inter *mi* et *omnia* non sane commendatur, quamquam eius generis exempla apud Catullum occurrunt cf. Haupt. observ. crit. p. 18 (opp. I p. 90); denique id quod ne Hauptium quidem fugit, de toto hoc versu conformando dubitatio nunquam tolletur, nisi eum versum, qui hunc praecedit, corrigere antea contigerit (cf. Haupt. opp. II p. 125); nec ita probabilis est emendatio, qua iam Politianus 66,48 pro *Chalybum* scripsit *Chalybon*, nam in genetivo pluralis declinationis quae habetur tertiae terminatio Graeca fere non nisi in titulis librorum usurpatur. Quae cum ita sint neque 66,48. 68,158. 97,2 traditam scripturam mutabimus neque erit, cur 76,10 et 99,8, quibus locis libri inter se dissentiunt, eam scripturam praeferamus qua hiatus evitetur; sed potius alteram illam utroque loco veram esse putabimus; in D autem, cuius ex verborum ordine hiatum non habemus, verba hiatus removendi causa transposita esse.

107,1

Si q u i c q u a m cupido optantique obtigit umquam.

Pro illo *quicquam*, quod in D traditum Lachmannus verum putabat, reliqui tantum non omnes exhibent *quicquid*. Neque vero hoc loco aptum videtur *si quicquam*, cum dativus *cui* potius requiratur. Id recte sensit Ribbeckius et Catullum *si quoi quid* scripsisse coniecit, quam emendationem aliqua ex parte tuetur codicis O scriptura *si quid quid.* Illud *quicquam* autem facile a librario oriri poterat, cui in memoria erant carmina 96 et 102, quae ab enunciato condicionali similiter conformato incipiunt.

108,1

Sic homini p o p u l a r i arbitrio tua cana senectus,

quod in G et O et plerisque codicibus extat, numeris caret. Codex, quem Ellisius litera a notavit, haec praebet:

Sic homini arbitrio semper tua cana senectus.

Sed illud *semper* a correctore profectum est, qui sententia prorsus neglecta id tantum egit, ut versum restitueret, cf. p. 5. De Riccardiano testes inter se discrepant: huius libri quae est scriptura secundum Ellisium speciem quandam veritatis habet:

Sic homini arbitrio populari cana senectus.

Nam ubi pro communi omnium librorum vitio *sic homini* reposueris *si Comini*, et sententia et versus stat. Sed etiam haec scriptura, siquidem in Ricc. extat, ut a correctore metrico ficta nullius auctoritatis est. Pronomen *tua* enim cum in D et Ellisii codice a habeatur, in Riccardiani archetypo extitisse certum est. Videtur autem Ellisius id quod de Riccardiano testatur ex Lachmanni editione sumpsisse (cf. Ellis. p. LIX) eiusque adnotationem male intellexisse; quam rectius cum Schwabio ita intellegimus, ut *tua* in Ricc. extare credamus ad hunc modum:

Sic homini arbitrio populari tua cana senectus

atque aut hoc aut illud, quod a exhibet, videtur latere sub eo quod D habet:

Sic homini arbitrio tua cana senectus.

Ex comparata Datani et Riccardiani scriptura profectus Lachmannus deleto pronomine *tua* hoc in textu posuit:

Si Comini arbitrio populari cana senectus,

id quod non videtur probabiliter fecisse. Nam rara additamenta in Catulli carmina illata sunt et simpliciore medela, quam iam Statius versui adhibuit, ex scriptura ceterorum librorum efficitur, quod non minus poeta dignum est; pro *populari* Statius *populi* restituit:

Si Comini populi arbitrio tua cana senectus.

101,7

Nunc tamen interea, prisco quae more parentum.

Haec Lachmannus edidit; D exhibet *interea*, L et G

interea hoc, O *interea haec.* Oxoniensis scripturam iam p. 35 probavimus.

Nonnullis locis dubium esse debet, utra scriptura genuina sit, et plerumque non multum differt, utram praeferamus, veluti

3,10

Ad solam dominam usque pipilabat.

Pipilabat D, *piplabat* cett., qua ex scriptura Itali *pipiabat* effecerunt.

88,4

Ecqui scis quantum suscipiat sceleris

et qui D *et quid* cett.

64,196

Quas ego, vae miserae, extremis proferre medullis

miserae D *misera* cett.

72,7

Qui potis est? inquis. Quod amantem iniuria talis

quod DL, *quam* GO, pro quo Statius *quia* scripsit.

68,147

Quare illud satis est, si nobis is datur unus

unus D *unis* cett.

Denique de locis nonnullis disserendum est, quibus alii viri docti Datano nimium tribuentes eius scripturam iniuria a Lachmanno reiectam esse censuerunt:

115,5

In G et O et parte ceterorum librorum haec habentur, quae Lachmannus genuina putabat:

Prata arva ingentes silvas saltusque paludesque
Usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum,

ita ut hexameter sit hypercatalectus pentametro proximo a vocali incipiente; idemque apparet latere sub eo quod libri ACL exhibent:

Prata arva ingentes silvas saltus paludesque.

Haud pauci autem viri docti in hac scriptura haeserunt et praeter ceteros respicienda est Boehmii sententia, qui de hoc loco copiosius egit in quaest. C. p. 39. Is igitur non

solum in licentia metrica, sed etiam in sententia offendit, negat enim dici posse:

Uno qui in saltu tot bona possideat,
Prata, arva, ingentes silvas saltusque paludesque.

Hinc profectus plurimorum librorum scripturam reiciendam esse censet neque vero coniectura opus esse; verum enim haberi in D: *altasque paludes*; facile autem perspici posse, quomodo ex hac scriptura ortum sit illud *saltusque paludesque*; primum pro *silvas altasque paludes* scriptum esse *silvas saltusque paludes*, id quod etiam nunc in codicibus quibusdam extat; tum a librario sententiae causa additum esse particulam *que*. Atque in ratione, qua ex Datani scriptura illam alteram ortam esse putat, concedamus nihil inesse quod non probari possit, etsi fortasse non ita facili errore pro *altasque* scribi poterat *saltusque*. Sed quid sibi vult hoc loco adiectivum *altus*? Id profecto agit poeta, ut Mentulae possessiones magnas atque ingentes esse doceat. Aptene igitur paludes altae i. e. profundae vocantur? Immo, siquidem adiectivum hoc loco latet, longe lateque extentae dicendae erant. De Datani igitur scriptura actum erit; sed ex ea profectus Rossbachius pro *altas* scripsit *latas*:

Prata arva ingentes silvas latasque paludes.

Et haec scriptura si libris traderetur, non esset, cur de ea dubitaremus. Sed quoniam in libris non habetur et iam difficilius est ad explicandum, qua ratione *saltusque paludesque* ex ea ortum sit, priusquam eam recipiamus, paullo accuratius examinanda est scriptura, quam Boehmius et Rossbachius reiecerunt. Ac primum in hexametro hypercatalecto is non offendet, qui perlustraverit quae Lachmannus in comm. in Lucretium p. 81 congessit. Et ipsum Boehmium plus tribuisse vitio quod in sententia inesse putabat, quam licentiae metricae ex ipsius verbis apparet. Neque vero sententiam stare negaverim. Nomen enim illud *saltus* duplici vi in hoc carmine usurpatur: in priore versu est praedium, possessio, quae varii generis agros complectitur, in altero versu propria significatione de certi cuiusdam generis

agro ponitur, de quo Festus p. 244 hoc dicit: *saltus est ubi silvae et pastiones sunt, quarum causa casae quoque* etc. Ita perspicitur, qua ratione dici possit: *saltus habet in se prata arva ingentes silvas saltusque paludesque.* Monendum autem est, *ingentes* ne ad solum *silvas*, sed ad tria illa *silvas saltusque paludesque* trahatur. Me igitur fateor hanc scripturam veram et a Catullo profectam putare. Neque hoc si ita esse ponimus, dubium est, unde Datani scriptura originem traxerit. Nam cum in genuina scriptura insit licentia metrica, qua quis facile adduci potuerit, ut versum corruptum existimaret, Datani autem scriptura metro egregie conveniat, hanc statuemus ex illa corrigendo ortam esse.

64,107

Indomitus turbo contorquens flamine robur.

Haec Lachmannus in prima editione scripsit, sed postquam Spengelius *indomitum turben* scribendum proposuit, et Lachmannus hanc coniecturam in app. crit. editionis commendavit et Hauptius aliique eam in textu posuerunt. Atque duobus indiciis commotus Spengelius sic Catullum scripsisse sibi persuasit. Primum enim liber Dati exhibet *indomitum turbo* pro ceterorum librorum scriptura *indomitus turbo.* Tum in Servii comm. ad Aeneidem VII,378 haec extant: *Turbo; Catullus hoc turben dicit ut hoc carmen. Est autem hic turbo, unde turbinis facit. Nam si Turbonis sit, erit a proprio nomine genetivus.* Atque quod in D *indomitum* habetur, huic rei non nimium tribuendum videtur, cum facili errore adiectivum *indomitus* aut ad vocem *pinum* assimilari aut ad *robur* trahi potuerit. Ad Servium autem provocantes neglegere non debent Charisium, qui in inst. gramm. I p. 64 K. scribit haec: *Turbo, si sit proprium nomen, Turbonis facit, si appellativum, turbinis; nam sive ventus sive quo ludunt pueri, hic turbo dicitur, non ut quidam stulte hic turben dixerunt puerorum; nam Vergilius dixit:*

torto sub verbere turbo.

et ibidem p. 144 et 145 K. haec: *Turbo Turbonis, si pro-*

prium sit hominis nomen; turbinis, si procellam voluerimus exprimere aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum etc. et paullo post: *Turben Tibullus:*

Namque agor ut per plana citus sola verbere turben;
quem Maro VII turbonem vocat:

tortus sub verbere turbo.

Haec duo grammaticorum testimonia, illud Servii et haec Charisii, si quis paullo accuratius perpenderit, plura offendere debent. Primum et in Vergilii Aen. VII 378 *turbo* et in Tibulli I 5,3 *turben* de puerorum lusu dicitur; in Catulli autem versu, de quo agitur, *turbo* idem est ac procella, ita ut minus apte Catulli quam Tibulli versus cum Vergilii a Servio componi videatur. Tum illud respiciendum est, quod Charisius Tibulli quidem et Vergilii versus laudat atque Vergilii eundem illum VII 378, ad quem Servii annotatio scripta est, de Catullo tacet; praeterea quod ex primo trium illorum locorum, ubi ait: *non ut quidam stulte hic turben dixerunt puerorum,* colligitur ei illud tantum notum fuisse hanc vocis formam de oblectamine puerorum, non de procella usurpatam esse. Denique in Servii testimonio praeter Catulli memoriam nihil est, quod non apud Charisium habeatur. Quibus omnibus hoc videtur demonstrari et Servii et Charisii adnotationes ex eodem fonte derivatas esse, eius autem formam ut pleniorem, sic puriorem servavisse Charisium, Servii vero testimonium non ad Catullum sed ad Tibullum respicere. Quod si recte statuimus, apud Catullum *turbo* retinendum est, apud Tibullum autem, ubi omnes codices nostri *turbo* exhibent, confidenter *turben* restituendum.

Hic etiam pauca contra Ellisium monenda sunt, qui p. XXXII de codicis D natura disserens scripturas nonnullas ex eo composuit, quas antiquitatem quandam sapere arbitratur. Qua in re longe a vero aberravit vir doctus, nam fere omnes illas quas attulit scripturas meris erroribus ortas esse certum est. Veluti quod 12,14 pro genuino *Saetaba* in D *Thessala* exaratum est, vulgari illo librariorum errore natum est, quo ordinem singularum literarum per-

mutare solent. Eiusdem generis in Catulli codicibus habes haec: 12,15 *numeri* pro *muneri*, 61,24 *ludricum* pro *ludicrum*, 57,2 *murmure* pro *Mamurrae* 25,11 *insula* pro *inusta* 64,54.253 *adriana* pro *Ariadna*. Aliquot locis a Datani librario synonyma confusa sunt, veluti 30,4 *improba* et *impia*, 64,391 *bacchantis* et *evantis*, 68,76 *conciliasset* et *pacificasset*, 68,102 *deos* et *focos*. At hinc id non efficitur, quod Ellisius vult, codicem D ex antiquiore codicis V apographo quam ceteros descriptum esse. Hinc enim illud tantum apparet librarium non singula verba sed totos versus totaque enunciata descripsisse. Eidemque describendi generi illud tribuendum est, quod verba syllabarum numero atque pondere paria et similiter sonantia permutantur: 65,24 *pudor* et *rubor*, 64,279 *celestia* et *silvestria*, 64,369 *procurrens* et *succumbens*. Quibuscum apte videntur haec ex aliis quibusdam vel adeo ex omnibus Catulli codicibus componi posse: 64,92 *pectore* et *corpore*, 64,106 *corpore* et *cortice*, 35,13 *indotatam* et *incohatam*, 66,48 *celitum* et *Chalybum*. Denique quod in D scriptum est 64,314 *libratum tereti librabat vertice* pro *libratum tereti versabat turbine*, conferatur 62,11, ubi *facilis nobilis* in Thuaneo scriptum est pro *facilis nobis*; et eiusdem generis sunt ex D 64,156:

Quae Syrtis, quae Scylla r a p a x, quae r a p t a Charybdis

pro

Quae Syrtis, quae Scylla r a p a x, quae v a s t a Charybdis,

et 64,11: *r u d e m cursu prima r u d i i t* pro *r u d e m cursu prima i m b u i t*, quae corruptela vel nuperrime viros doctos mirificas ad hariolationes pellexit.

Sed finem hic facere licet disputandi et quae de Datano disseruimus breviter comprehendere. Non nobis visi sumus astipulari posse Baehrensio, qui Datanum ut ceteros libros ex codice G derivatum eamque ob causam prorsus nullius pretii habendum esse censet; immo Datanum sua via ac ratione ad Veronense archetypon redire atque non sine fructu in recensendis Catulli carminibus adhiberi vidimus; recte igitur Lachmannus fecit, quod librum illum in usum

vocavit, quamquam eum locis nonnullis nimiam ei fidem tribuisse concessimus.

Iam autem ut summam faciamus eorum quae tribus disputationis nostrae partibus exposuimus, in recensendis Catulli carminibus libri a Lachmanno adhibiti abiciendi non sunt, sed eis addendi codicum Catullianorum nullo inferiores G et O; qua re apparatus quidem criticus augetur, sed a textu quem Lachmannus constituit raro recedendum est, cum omnes Catulli carminum codices ex eodem archetypo derivati non admodum longe inter se distent et plurima, quae G et O nova et bona exhibeant, iam antea Italorum vel aliorum virorum doctorum coniecturis inventa fuerint. Quamquam igitur Lachmannus singulis quibusdam locis tum quod codicum G et O ope destitutus erat, tum quod Datano paullo maiorem quam par erat fidem tribuebat, a vero aberravit, fundamenta tamen quae ille iecit adhuc stare confitendum est.

Index locorum controversorum,

de quibus in hoc libello agitur.

Vita.

Rudolfus Albertus Theodorus Sydow natus sum Sedini d. II m. Octobris a. h. s. LVII patre Rudolfo, matre Augusta e gente Seegeriana, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fide institutus sum evangelica. Per primos pueritiae annos privata disciplina institutus anno h. s. LXIX in quartam classem receptus sum gymnasii municipalis Sedinensis, quod per sex annos et dimidium frequentavi. Praeceptoribus ibi usus sum praestantissimis et benevolentissimis, qui etiam post discessum meum semper studiorum meorum fautores se praebuerunt. Maturitatis testimonio instructus universitatem literarum Berolinensem adii eiusque civibus adscriptus per octies sex menses scholas frequentavi virorum clarissimorum Curtii Dillmanni Droyseni Geigeri Harmsii Huebneri Kirchhoffii Mommseni Muellenhoffii Paulseni de Treitschkii Vahleni Wattenbachii Zelleri. Seminarii philologi per quater sex menses sodalis ordinarius Kirchhoffii et Vahleni doctrina fructus sum. Ad exercitationes ab ipsis moderatas Huebnerus Kirchhoffius Muellenhoffius Vahlenus aditum mihi benigne concesserunt. His viris omnibus ut egregia sunt eorum de me merita gratias ago candidissimas.

Sentententiae controversae.

1. Tibull. IV 1 probata emendatione qua Lachmannus in v. 1 scripsit *me et* (codd. *mea*) versus 5 et 6 transponendi sunt post versum 2:

   1 *Te, Messalla, canam. quamquam me et cognita virtus*
   2 *Terret, ut infirmae valeant subsistere vires,*
   5 *Nec tua praeter te chartis intexere quisquam*
   6 *Facta queat, dictis ut non maiora supersint:*
   3 *Incipiam tamen. a meritis si carmina laudes,*
   4 *Deficiant: humilis tantis sim conditor actis,*
   7 *Est nobis voluisse satis, nec munera parva*
   8 *Respueris.*

2. Plaut. Rud. III 1 non est, quod versum secundum cum Ritschelio deleamus.
3. Plaut. Amphitr. prol. 32 scribendum est *adveniens* (codd. *advenio et*):

   Propterea pacem adveniens ad vos affero.

4. Antiph. tetral. III α, 2 reiecta codicis N scriptura ἀξιωθέντος talis defectus statuendus est: ὅςτις οὖν τούτων ὑπὸ τοῦ θεοῦ [ἀξιωθέντας ὁρῶν ἡμᾶς καὶ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ] ἀξιωθεὶς τοῦ βίου ἡμῶν ἀνόμως τινὰ ἀποκτείνει, ἀσεβεῖ μὲν περὶ τοὺς θεούς etc.
5. Antiph. tetral. I β, 2 scribendum est: ἀλλ' ἐὰν μὴ καὶ (codd. ἀλλὰ κἂν μὴ) τὸν ἀποκτείναντα εὑρὼν ἐξελέγξω.
6. Minorum oratorum Graecorum editio Aldina nullius pretii habenda est; quae autem bona habere videtur et a codicibus nostris recedentia, ab ipso Aldo vel errore vel coniectura profecta sunt.

Typis expressit Franciscus Jahncke,
Berolini, Cöpnickerstr. 56.

